2.40.54

IN CANTI-
cum Canticorum quod scripsit SCHELOMO EXPLANATIO FAcilima, & cœlestis plena consolationis;

Authore GVILIELMO TOMSON *verbi ministro.*

IESCHA 62. 7.
Vt cum ducit Iuvenis virginem, gaudio sponsi cum sponsa gaudebit tecum Deus tuus.

Liber Johannis Causto
B.12.56
Edono m Atkinson

LONDINI;
¶Ex Officina Roberti VValde-graue. An. 1583.

9310 : 78

VIRO PIETA-
te, eruditione, honore
præſtanti, Franciſco
Walſingham, *equiti*
aurato, e primariis Sere-
niſſimæ reginæ Eliza-
bethæ *a ſecretis, hono-*
ratiſſimi ſenatus regij
priuati, & ordinis can-
cellario: Pietatis, eruditionis, eccleſiæque exæ
dificandæ ſtudij merito, gratiæ operi, authorique conciliandę cau-

ſa, perpetui denique iſtorum temporum, & renouatæ ad diuini verbi preſcriptum ſinceræ religionis teſtimonij monumẽtiq; ergô: *Guilielmus Tomſon verbi miniſter, Canticum Canticorum a Schelomone ſcriptum, a ſe vero commentarijs illuſtratum perſpicuis dedicauit.*

Libri vsus & Scopus.

INclamabat herum, seruilis turba vetustas:
Conscia mens scelerum, plena timoris erat.
Abba pater, patulo nunc inuocat ore fidelis:
Filius atque heres, iam bona iure petit.
Ampliùs, appellat sponsũ, vt blándissima coniux:
Non pudor ingenuus, sed pauor omnis abest.
Fœlix, quæ Christi mensa, thoróq; recepta,
Delicias solidas, gaudia pura capis.

Ad Lectorem.

TRemelij & Iunij translatione vsi sumus, perspicuitatem quærentes, & doctissimi cuiusque iudicio acquiescētes. Ab ijsdem etiam, & libri totius argumentum habemus, & in literalis sensus explicatione valde sumus adiuti, id quod locis opportunis minime dissimulauimus. Neque enim ingenij laudem captamus, sed ecclesiæ ædificationem in opusculo, omnium vt vtilissimo ac suauissimo, ita longe difficilimo promouendam nobis putauimus. Vale & fruere Charissime frater.

Liber Canticorum.

ARGVMENTVM.

LIBER cantici, quem Schelomo scripsit θεοπνεύστως, exponit rationem spiritualium sponsaliorum & nuptiarum, quas placuit Christo inire cum ecclesia in terris versante. Itaque declarat primùm sermones vltro citróque habitos in contrahendis sponsalibus, deinde mutui amoris grauitatem & officia conuenientia inter amantes verbo & facto gratulantes. Posteà quia amor ille gratiosè conciliatus mera beneuolentia sponsi, non rarò ab ecclesia in terris imprudenter sponsam suum offendente intermittitur, laborans ecclesia de recuperanda sponsi discedentis gratia, curatur a sponso, & de constantissima ipsius beneuolentia confirmatur, ita communi opera se ad beatissimam illum nuptiarum consummandarum diem comparant. Postremò quia non potuit matura esse ecclesia nisi accedente gentium plenitudine, postquam de ea sermo habitus est, canticum totum mutua professione studij inter sponsum & sponsam officiique concluditur.



Caput Primum.

3. Ecclesia studium suum summum erga sponsum exponens, causam tanti desiderij declarat. 4 Amorem suum a sponso augeri postulat, pro eius incremento & sponsi familiari consuetudine laudes, & grates vouet. 5 Ab indignitate sua apud amicas se purgat. 7 Præsentiam sponsi vehementer expetit. 8 Sponsus eam de officio edocens, 9 Superiorem illam purgationem sua authoritate & testimonio, 11 tum etiam amplissimis promissionibus comprobat. 12 Sponsa exauditam se sentiens, gratam & memorem se profitetur. 15 Tandem se sponsus oculis internis sponsæ præsentem exhibet, vnde mutua congratulatio & reciproca formæ collaudatio, ardentissimúmque amore perfruendi desiderium.

1

Anticum Canticorum, quod est Schelomonis.

Sponsa. 2 *Osculetur me osculis oris sui: nam boni sunt amores tui, meliores vino.*

3 *Ad odoratum, vnguenta tua sunt optima: velut vnguentum, diffusum nomen tuum: idcirco puellæ diligunt te.*

4 *Trahe me, post te curremus: Cum introduxerit me rex ipse in conclauia sua, exultabimus & lætabimur*

bimur in te, commemorabimus amores tuos meliores vino, rectissimè diligunt te.

5 *Nigra sim, at decora sum ierosolymitanæ: similis sim Scenitis Kederenis, at similis sum inhabitantibus aulæa Schelomonis.*

6 *Ne respiciatis ad me, quod sim subnigra, quòd contuitus sit me sol: quod filij matris meæ accensi ira contra me, disposuerint me custodem vinearum aliarum, quod vineam meam non custodiuerim.*

7 *Indica mihi tu, quem diligit anima mea, vbinam pascas, vbinam recubare cures gregem meridie: Cur enim essem quasi extendens tentorium apud greges sociorum tuorum?*

8 *Quandequidem ignoras o pulcherrima fœminarum: egredere ne insistas vestigijs illius gregis, & pasce capellas tuas supra greges aliorum pastorum.* Sponsus.

9 *Equitio iuncto curribus Pharaonis,*

compare

comparo te amica mea.

10 *Decoræ sunt genæ tuæ velut lineis lapillorum, collum tuum velut torquibus.*

11 *Lineas aureas faciemus tibi cum punctis argenteis.*

Sponsa. 12 *Interea dum Rex in accubitu suo est: nardinum edit odorem suum.*

13 *Vt fasciculus myrrhinus, inter vbera mea commorans, est amicus meus mihi.*

14 *Vt bacca cypri in plantarijs Hengedi, amicus meus est mihi.*

Sponsus. 15 *Ecce pulchra es amica mea, ecce pulchra es, oculi tui sunt columbini.*

Sponsa. 16 *Ecce te, pulcher es dilecte mi, etiam amœnus: etiam sponda nostra est virens.*

Sponsus & Sponsa. 17 *Tigna domorum nostrarum sunt e cedris: ambulacra nostra e brutis.*

1 C *Anticum Cantic*] id est summum & prestantissimum. Hoc versu duo cōtinētur, argumentum libri & scriptoris nomen. Argumētum est epithalamium, siue cōnubiale canticum, quo Schelomo decantauit sacram illam, augustissimam & beatissimam desponsationem coniunctionémq; Christi cum ecclesia, quam æternus ipsius amor erga ecclesiam conciliauit & continet, beneficentiáque promouet, donec tandem Christus iam ecclesiæ desponsatus, & quadam tenus etiam arctissimè familiarissiméque copulatus, secundo aduentu suo sacrum illud coniugium perficiat, coagmentato & adunato totius ecclesiæ corpore, cum fuerit deus omnia in omnibus De hoc eodem argumento vide psal 45. & Iechezkel 16. Scriptor est celeberrimus ille, in literis sacris, & cœlestis sapientiæ nomine longè supra omnes mortales, sancti etiam spiritus eulogía nobilitatus Schelomo, ne quid hìc fœdi & obscœni, ne quid mundum aut carnē quod sapiat subesse arbitremur. Hic Schelomo cum ex spiritus certissima reuelatione exploratum haberet, se a deo delectum & ad regale fastigium euectum esse, eo consilio, vt in ipsius persona, persona Christi, in regno pace, opibus pietate florentissimo, tanquā in typo atque exempla-

plari, regnum Christi, pax, magnificentia, maiestas eluceret: cum ipsius matrimonium cum pharaonis filia, augustissimum Christi connubium cum ecclesia gentium præfiguraret, certo certiùs cerneret: vt populares suos, atque adeo omnem posteritatem edoceret, quanta & quàm diuina mysteria sub illarum rerum inuolucris delitescerent, hoc canticum diuinitus illi dictatum exarauit, in quo sub figura sui illius matrimonij perpetua, Christi ecclesiæque eximiam pulchritudinem, opes inæstimabiles, amorem ardentissimum, officia denique mutua allegoricôs adumbraret. Itaque Schelomonem lusisse in hoc opere existimare, suæq; coniugis amore abreptum, poetarum prophanorum more affectus suos depinxisse, ad libidinem oratione inflammandam, hominum est flagitiosè mentientium & in scripturæ sacræ vsitatis schematis & tropis turpiter puerilitérq; errantium. Quibus os ex illo 45. psalmo, & Iechezkel 16, obturandum est. Genus scribendi dramaticum est, multis figuris & ornamentis & orationis charactere amplissimum.

Personæ colloquentes.

Sponsus. Sponsi comites & amici. { Sponsa. Puellæ & pedissequæ illius. }

2 *Osculetur me.*] Huius capitis partes sunt principales quatuor. In prima, ecclesia atque

que etiam omnis anima christiana, sponsi aspectum, colloquium, basia, amplexus expetit, vsque ad vers. 8. In secunda, Christus sponsam instruit & mirificè contolatur vsque ad vers. 12. In tertia, ecclesia spiritus sancti intima consolatione, & amplissimis Christi promissis recreata & confisa, gratam se fore & tantorum beneficiorum memorem pollicetur, vsque ad versum 15. In vltima, sponsus se præsentem sponsæ sistit, vnde mutua collaudatio & congratulatio cum ingenti vtriusque voto, cupitis amplexibus perfruendi. Huius primæ partis principalis, tria membra sunt. Primum versu secundo, tertio, ardorem sponsæ ad sponsum anhelantis & ad fructus sui amoris percipiendos exardescentis, causis tantę affectionis explicatis continet, cum vehementi ad sponsum oratione, versu quarto, vt imbecillitatem humanam boni consulat & subleuet, & cum voto animi gratissimi, cum sponsi copia & expetitis gaudijs potita fuerit. Secundum membrũ, purgationem sponsæ apud amicas, ab indignitate sua habet versu 5, cum ingenua infirmitatum, errorum, peccatorum confessione versu 6. Membrum tertium vers. 7. grauissimam apostrophen ad sponsum exponit, specie puellæ amore pereuntis, & amasij sui absentiam diuturniorem non ferentis, atq; etiã ob infirmitatem suam perichitantis, ne corrupto malorum conuictu & consuetudine prolabatur. Quæ res paratæ est ad secundam partem. *Osculetur me &c.*] Addiscendi hij nobis

nobis sunt affectus alioqui oratione inexplicabiles, assuefaciendúsque est spiritus, vel ipsam carnem hic vt imitetur. Qui in mundi huius versatili scæna humanæ vitæ fabellam spectat, nostrásque nymphas personatas cum suis pamphilis collusitantes, oculis animóque aduertit, scit, quanta horum sit affectuum vehementia. Et non pudeat nos Christi filij Dei æterni, seruatoris nostri amantissimi, sponsique amabilissimi pulchritudine non inflammari, nerui sque omnibus non expetere, vt diuinam illam lucis perennis, fulgidissimíque iubaris claritatem, animi ore defœcati dissuauiemur? Ineſt autem hijs verbis pathos huiusmodi.

Imprimeré roseis mille ac mille oscula labris.

Quo modo ista oscula interpretabimur? Ardores sunt atque igniculi, nostri erga Deum amoris in animis nostris diuinitus exuscitati, deinde etiam, certa & explorata illius erga nos infinitæ charitatis persuasio, eiusdémque charitatis apud conscientias nostras per spiritum illius sanctum obsignatio Hæc oscula hic sponsa discupit: Nam vti paulus roma 8, 15, 16, duplici ex effecto nos esse filios Dei explicat, tum, quòd intrepidè magnáque cum fiducia Deum patrem compellemus, tum quòd hanc nostri adoptionem spiritus sanctus apud spiritum nostrum suo testimonio obsignet, (quæ apostoli oratio a solis Dei filijs θεοδίδακτος intelligi potest) Sic hic, quisquis Ihesu christi amore incensus, eum quàm familiarissimè suum sponsum appellare audet

audet,ab eóque ſuauia,vxorio vt ita dicam iure poſtulare, ſpiritu ſancto intus conſcientiæ ſuæ teſtificante ſe id minimè ſimulate facere, is huius loci germanum ſenſum tenet, ſuóque cum maximo fructu didicit. Oſculare me mi ſponſe oſculare me. *Nam boni.*] Cauſam annectit ſuæ tam ardentis affectionis, duplici comparatione amplificatam. Cauſa eſt dulcedo & ſuauitas illius amorũ. Dulcedo e; vini, hoc verſu. Suauitas ex vnguẽti fragrantiſſimi comparatione illuſtratur, ſequenti. Vſitata in ſcripturis ſacris allegoria eſt, vt lauti & opipari conuiuij velamento, ſpiritus ſancti gratiæ in mentes chriſtianas profuſæ, propter incredibilem iucunditatem adumbrentur. Idem hic tropus, quoniam conuiuium, vini nomine ſynecdochicos intelligitur. Atque amorum quidem nomine, aſpectum, ſermonem, baſia, tactum, amplexus ſignificari, vt in prophanis amoribus omnia, arbitramur, quæ quidem in ſpiritus Chriſti cõmunicatione intelliguntur eſſe vniuerſa. Sensus igitur eſt. Quemadmodum in conuiuijs lautis & inſtructis corpus ciborum delicijs incredibiliter afficitur, vini puri & generoſi potu vehementiſſimè exhilaratur, ita in ſpiritualibus amoribus, tanta Chriſtus ſponſam ſuam dulcedine perfundit, tanta, tam pura & ſolida iucunditate inebriat, nullæ vt epularum lautitiæ, aut vini nectarei ſuccus comparari queat. Hoc ille perſenſit cum de ſpiritus communione per verbum guſtata exclamaret, Deſideratiſſima præ

auro

auro & quidem purgatissimo quàm plurimo, ac dulciora melle, & melle quidem accæto. Psa. 19. 11. Hoc Ieschahhias, intellexit & expressit. 25. 6 Faciet autem Iehoua exercituum, omnibus populis conuiuium in monte hoc, id est ecclesia, conuiuiũ rerum pinguium, conuiuium vini defæcati, pinguium saginatiorum, vini fœcibus expurgatis. Quod si hij spiritus fructus in nobis, vt (quæ nostra infirmitas est) sæpe fit, minùs illustres sint, eò recurrendum est, vt in æterni illius erga nos amoris suauitate, plena fiducia æquiescamus, vt sponsus ipse hoc ipso libello infinitis propè locis nos docet. Quæ res perdiligenter in hoc toto cantico animaduertenda, posteà clarissimè apparebit. 3. *Ad odoratum.*] altera causa cur tam vehementer ad sponsum inardescat, ceu causæ superioris per comparationem vnguenti exquisiti exornatio, vti supra vers. 2. diximus. Vnguentorum apud Hebreos pro more gentis vsus multus. Hoc autem regale vnguentum, ex myrrha, santalis, casia, reliquisque præstantissimorum aromatum generibus confectum, psal. 45. 8. 9: Ambrosij spiritus sancti liquores sunt, quibus Christus prę consortibus eius omnibus perunctius est, id que tanta supra omnem mensuram abundantia, vt plenis amnibus ad corporis sui irrigationem scaturiat, & ex eius plenitudine cuncti hauriamus. Hæc vnguenta ad odoratum sunt optima, propterea quòd quos Christus sanctificationis spiritu semel afflarit, tanta suauitate in

illorum

illorum mentes illabitur, vt omnem preciosissimi vnguenti fragrantiam superet. Vt vnguentum illud optimum, in caput arahonis effusum, primùm barbam illius proluens, ad extremam vestium oram defluxit, psal. 133. Ita spiritus plenitudo in messiam caput nostrum profusa, inque omnes illius corporis partes exundans, ad infimos tandem pedes prolabitur. Hoc autem vsu venit, cum illius nomen, fama, laudes, dona quibus a Deo ornatus est ad sponsæ suæ commoditatem, dignitatem, & fœlicitatem, ex myrothecio scripturarum sparsa & profusa, christianas aures mentésque, exquisitorum instar odoramentorum mulcent, eò vsque vt fragrantia ista abreptæ amore inflammentur. Idcirco inquit puellæ, id est meæ ancillæ, pedissequæ, sorores psal. 45. 15 16. diligunt te. Magnæ enim principes magnum puellarum numerum alunt. Allegoria inde traducta est quòd vestes salomonis nuptiales puellarum aulicarum adstantiũ nares, rara & inusitata odoris iucunditate exhilararint. psal. 45. 8. 9. 4. *Trahe me*] Oratio est breuis illa quidem, sed vehementissima. Quòd præsentiam tuam amanti sponsæ procrastinas, quòd copiam tui roganti non facis, mea fateor & agnosco solius culpa est, verùm vi tui robustissimi spiritus cessantem propelle, inuicta tua dextera obnitentem pertrahe, tum verò summa cum alacritate curremus.

Cum

CVM introduxe] promissio est gratiarum actionis, cum sponsi & regis sui pro voto perfruendi cõpos fuerit. Sed quæ sunt ista conclauia, & quid nam istud introducere sibi vult? Ecclesia agnoscit se desponsam quidẽ iam esse Christo, sed instar puellæ adhuc domi apud matrem detineri inuitam. Sed cum me rex domum ad se deduxerit, & in palatiorum suorum penetralia introduxerit, mẽque quàm familiarissimè tanquam coniuge vsus fuerit, feminéque verbi sui cœlestis grauidam fecerit, tum verò ego cum puellis meis lætitia pura & solida gestiemus in illo, in illo vno exultabim⁹, mustéoq; spirit⁹ sancti nectare deliburæ illi⁹ amores quouis vino dulciores canticis spiritalibus modulabimur, tum demum manifestum erit, quàm honestè puellæ meæ, quàm rectè, sanctè, castè comites tui, quàm iustis de causis, tantis tui ardoribus flagremus omnes. Introduci igitur in conclauia est, in arcana adyta diuini consilij & voluntatis rege nostro præeunte deduci, clariore luce cognitionis illustrari, abundantia diuini amoris ditari, copia spiritualium donorum ornari & amplificari. Hæc cum adepti fumus, in illo, in illo inquam vno lætari & exultare, & tantis bonis cum animi gaudio & gratiarum actione perfrui debemus. Prætereà narrare illius amores, hoc est, epithalamium illud, psalmum videlicet 45, atque hoc ipsum Canticum connubiale illi cantillare. 5. *Nigra sum*] Membrum secundum huius primæ

partis

Partis vt in ſecundo verſ. ſupra. Excuſatio ſponſæ apud amicas ſuas quòd tanto ſponſo omni ex parte indigna, hijs amoribus tamen prætet modum, atque etiam citra vllam pudoris ſui rationē indulgeat. In hoc verſu concedit ſe inuenuſtam eſſe, ita tamen vt pulchritudinem ſuā, omnem mundi gloriam longè anteceller e affirmet. In ſequenti, ingenua eſt ſuæ indignitatis cum confeſſione peccatorum agnitio. Ita huius membri bipartita ratio eſt. Deformitas eccleſiæ arabibus Kedarenis comparatur, qui quoniam in tentorijs vitam agant, perpetuis ſolis ardoribus infuſcati & torrefacti ſunt. Præſtantia autem illius formæ, cum aulicis & comitatu ſchelomonis qui in illius aulæis attalicis Babyloniciſque commorantur. Videor inquit vobis nigrior quàm eſt vllus æthiops, ſum etiam fateor, ſed ne ſchelomonis quidem gloria & maieſtas omnis, noſtra cum venuſtate, vlla poteſt ex parte contendere. Prior locus comparationis expolitur verſu ſequenti, ſecundus a ſponſa diſſimulatur, ne ſuus ipſius laudes ore proprio buccinare videatur. Mauult enim a ſponſo quàm a ſeſe prædicari. Id quod facit ſponſus infra eodem capite. 9. 10. 11. *Ne reſpiciatis.*] Hęc peccatorum confeſſio, tria ſcelerum genera continet. Primum ingeneratum & originale, cuius natura ſe ui ſumus omnes, eòque toti penitus deformati. Ad rom 1. 7. 14 & ſeque. Secundum quod calamitatum & perſequutionum tyrannide ad-

mittamus, cum multa obluctante etiam conscientia facere cogimur, multa pati. Ipsa vero persequutio tantùm abest, ecclesiam vt contaminet, multis vt modis eam formosiorem comptioremque reddat. Tertium quod nobis inuitis accidit malorum quibuscum viuitur contagio. Cum hij qui Catholicæ ecclesiæ filij imo patres dici & haberi volunt, exoticas & commentitias sibi colendi deum formas cudunt, id est a verbi præscripto dissidentes. Horum enim scelere fit, vt vinea domini exercituum neglecta, ecclesia alienam vineam colere & custodire dicatur. Neque tamen hoc ecclesia facit, sed ecclesiæ fucum & laruam homines audaces suæ obtendunt amentiæ. Ista tamen infamia, ipsa aspergitur, isto probro & ignominia, quin etiam publica labe & communi lue commaculatur. Allegoria a vinitoribus est.

7. Iudica mihi.] Membrum tertium. Apostrophe ad sponsum planè pathetice. Quoniam neque respondes, neque venis ad me tui desiderio languentem, indica mihi vbi cum grege tuo quiescas & calores hos quos sentio euites. Per medios enim solis æstuantis ardores ad te venero. Quid autem an te parùm mouet, quòd tuorum rudium importunitate sollicitor, vicinitate pericli or, consuetudinem abominor? Si qua tuæ sponsæ te cura tenet videamus. Hæc autem eo ducta allegoria est, quòd vt pastores, maximi amatores mulierum sunt, ita vt quisque amoribus indulget maximè, sic pasto-

pastoritios mores & affectus ingeniosè persequitur oratione. Iam verò pastores orto iam sole pecus agunt in pascua. Incalescente autem die vmbras & opaca sectantur, vbi & oues solares ardores euitent, & ipsi suos ignes, fastidiosum suarum phillidum fastum, turbulentósq; amores modulentur. Vt poeta canit egregius.

Aestibus at medijs vmbrosam exquirere vallem,
Sicubi magna Iouis præduro robore quercus
Ingentes tendat ramos, aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus accubet vmbra.

8. *Quandoquidem ignor.*] Secunda pars huius capitis principalis, quatuor versus complexa, bifariam diſpertitur. Primum membrum διδακτικὸν est hoc versu, secundum παραμυθητικὸν tribus reliquis. Inest etiam hijs verbis (pulcherrima fœminarum) consolatio egregia in omnibus conscientiæ nostræ angoribus ac terriculamentis lenimento singulari futura. Deus est qui nos tam blandè compellet, vt faciat suæ erga nos beneuolentiæ quàm certissimos, quid est quòd nos aut peccatum, aut peccati authoramentum mortem, aut orcum formidemus? Primò exorditur sponsus ab obiurgatione blanda spontæ, quasi rudis sit adhuc & ignara viæ qua ad ipsum venitur. Exi inquit quàm ocyssimè. fuge quàm ab istiusmodi gregibus longissimè, pasce capellas tuas fidelium gregem puro & salubri pabulo verbi vitæ, & potum age ad liquidos & perennes scriptu-

rarum

rarum fontes, ad virtutis asperum clivium & ad montes crucis arduos ducito, euche supra pastorum istorum tabernacula, qui aquis turbidis & herba paluſtri miseras pecudes inficiant, ipsi cœno lutóque toti immersi. Hic versus respondet proximè præcedenti ecclesiæ quæstioni, in eadémque pastorali allegoria persistitur. 9. *Equitio junctio.*] Secundum membrum consolatorium. Hic versus cum sequentibus respondet superiori ecclesiæ purgationi 5. 6, qua dignitatem & venustatem suam apud amicas asseruit. Noua comparatio est, allegoriâ ab equitatu parthonis longè magnificentissimo tralata. Veriſſimè inquit de tua præstanti forma, tum apud amicas gloriatis, tum apud hostes qui te falsò criminantur triumphas. Es enim mea opinione & existimatione tuæ dignitatis, equitatui parthonis tam regali, tam splendido, tam rebus omnibus instructissimo & clarissimo similima. Insignis est consolatio & ad plerophorian nostræ conscientiæ accommodatissima. Non enim de ornamentis asponso in hac vita re ipsa acceptis loquitur propriè, sed de instrumento illo omni quo in Christo Iesu seruatore nostro donati sumus. Hoc euincitur ex hoc verbo comparo te. Horum exercituum dux est & imperator Iesus Christus, equo albo inuectus, & veste hostium suorum intincta sanguine amictus. Sequimur exercitus cœle-

cœlestes id est christiani, equis etiam lacteis vectr, byssoq; pura & munda conuestiti, id est vt ego interpretor illius integritate, iustitia, inno centiáque conspicui. Apoca. 19 11. cum sequent. 10. *Decoræ sunt ge.*] Hic versus loquitur de sanctificationis donis, quibus iam tanquam mundo muliebri dotati & donati sumus, ipsi nostri munificentia. Non enim est inusitatum in scripturis, vt spiritus sancti gratiæ, & occulti hominis formosissima facies eleganti fœminæ muliebribus ornamentis comptæ & cultæ comparetur. 1. Petri 3. 34.35. Tremelius putat eandem esse ab equitatu allegoriam, ex eo quòd orientalium equorum cutilium colla, pretiosissimis tomicibus decorabantur. Non displiceat, sed illud probamus potiùs. Et tum noster sensus postulat vt murenulæ aut catenæ pro tomicibus intelligantur. 11. *Lineas aureas fa*] Es quidem iam pridem elegantissima, sed nos te indies elegantiorem comptiorémque reddemus. In plurali verbo, faciemus, mysterium sacræ trinitatis rectè notant. Consolatio est a promissione gratiæ abundantioris. 12. *Interea dum*] Tertia pars capitis tribus versibus definitur. In primo agnoscit ecclesia se & sua illa superiora vota minimè a sponso negligi, tametsi illius exoptata præsentia nondum potiatur. Ille (inquit sponsa) in cœlis, ambrosius dapibus & nectare cœlestu perpe-

tuò pascitur, neq; quicquam illius tantæ fœlicitati ex officijs nostris addi posse intelligo. Sed tamen quæ illius clementia est, nostras in terris curas cernit, gemitus exaudit & lachrimas, & quia in illius amore vnico, nostra omnis beatitudo posita est, patitur se a nobis amari, quin etiam summo nostri amore vicissim flagrat. Id autem persentio ex suauitate illius spiritus in conscientia mea inhabitantis, & illius erga me amorem obsignantis, tum etiam omnigenis sanctificationis floribus & fructibus animum meum excolentis, & ad mutuum illius amorem expergefacientis. Qua ex re perinde acsi nardino fragrantissimo, omnes mei sensus exhilararentur, incredibiliter afficior. 13. 14. *Vt fasci*] huius versus & sequentis idem est sensus. Huius tanti beneficij memoriam nullo vnquam tempore apud se senescere aut intermori passuram se vouet, neque alio se loco amasium suum habituram, quàm odoratorij fasciculi, quo torpentes & languentes amoris ignes exuscitet, neque alia arcula quàm cordis grati & memoris scriniolo reconditurum. Trãslatio est a puellarum more quæ olfactoria & flosculos sinu gestare consueuerint. Ego verò (inquit) & tantorum beneficiorum memoriam, & sponsum ipsum meum tam munificum inter vbera mea per omnem meam vitam gestabo.

15 *Ecce pulchra*] pars vltima huius capitis tribus versibus constans. Priores duo gratulationem & collaudationem mutuam habent specie

specie amãtium subitò, & ex insperato obulam sibi factorum, & in colla & oscula vltro citróq; ruentiũ. Tertius & vltimus omnium, conclusionẽ symphoniacam, qua domus suæ communis præstantiam & excellentiã communi voce concinunt. Hęc pulchritudo ecclesię in hac vita quidem præclarè inchoata & lineamentis primis elegantissimè deformata est, re autem ipsa, suis omnibus coloribus & pigmentis in cœlis explenda & absoluenda. Sed Deus nos in Christo seruatore nostro complexus, illius innocentia & puritate interim conuestit, de qua venustissima & præstantissima nostra forma, verissimè illud poetæ cani potest. In toto nusquam corpore menda fuit. Locus ad plerophoriam spei nostræ insigniter facit. *Oculi columbarum*] sed quid sibi vult solius oculi commendatio? Oculi columbini, simplices, casti, gratiosi sunt. Et quid aliud ille a nobis expetit, aut quid aliud spectat, nisi simplex & sincerum animi candidi propositum, oculúmq; neq; alienis bonis inuidum, neq; suis fastuosum, sed innocuum sed modestum, sed diuini amoris ardore inflammatum, sed ignescente pupilla cœlos perterebrantem? Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Mathęi. 6. 22. *16. Ecce te pul.*] Par pari refert ecclesia. Teneóne te amabilissime sponse mi, tam vehementer animo expetite meo? méne formosam appellas tu, cuius claritate, omnis angelorum etiam ipsorum puritas pallet & obruitur? Quid enim sunt angeli omnes,

omnes,quàm ſtellulæ quędam tuis ô ſol æterne radijs puris incenſæ? nos verò homunciones lampades quædam & lucernæ,ſcintillis quibuſdam tuis lucentes,alióqui impuriſſimæ? *Sed & ſponſa*] verum illud eſt,amorem non modò timorem omnem abiicere, ſed penè etiam exuere pudorem.

Fœmina nunc partes,victa rogantis agit.

Hoc dicit. Cum igitur me pro tua ſingulari benignitate,eximia forma adornaueris, elegantiſſimus ac formoſiſſimus ipſe,quid gaudia mea differs? Quin voluptatis concupitæ fructum repræſentas? Præſertim cum Corculum hoc meum,genialis ille tuus lectus liberorum procreatione fœcundiſſimus eſt futurus? id enim virens hìc ſignificat. Dormi mecum, mi ſponſe, dormi mecum, grauidam me tuo viuifico cœleſtis verbi ſemine reddito,

Prægnans vt pulchra faciam te prole parentẽ.

17 *Tigna domorum noſt.*] Domus eccleſia vniuerſalis ſunt, ambulacra ſiue paradromides, ſingulares congregationes fidelium, vbi Chriſtus cum ſponſa ſpatiatur, apud apoſtolum petrum viuis ex lapidibus conſtructæ, 1.pet. 2 5. apud Iohannem gemmis & auro radiantes,apocalyp.21. 18. & ſequen Hic apud Schelomonem pretioſiſſimis & odoratiſſimis arboribus contignatæ & contabulatæ.

Caput

Caput ſecundum.

Sponſus vt ſuæ ſponſæ animum incendat, formã ſuam & dotes dilaudat, 1 item ſponſæ 2. Sponſa viciſſim illũ prædicat, & fructus a te illius amore perceptos, typo arboris, 3, conuiuij, 4, in quo, amore nimio, animi deliquio concidit, 5, congreſſus maritalis figurat, 6. Modum & ordinem omnem ſuæ vocationis narrat, 8, 9. Item beneficia ex gratuita vocatione accepta, figura veris rerumque omnium vernantium depingit 14. Sponſus amicos & comites ſuos, omnes offenſiones etiam minimas ex eccleſiæ vinea amoliri iubet, 15. Eccleſia pacem conſcientiæ & ampliſſima bona, ex vocatione conſequuta, certa fiducia fœlicitatis venturæ & æternæ vitæ acquieſcit. 16. Interea Chriſtum ſibi crebrò adeſſe & animum ſuum ſubinde inuiſere precatur, donec ille dies optatus illuxerit.

1 *Ego ſum roſa ſcharonis, lilium conuallium.* Sponſus.

2 *Vt Lilium inter ſpinas, ita eſt amica mea inter filias.*

3 *Vt malus inter arbores ſyluæ, ita eſt amicus meus inter filios: in vmbra eius ſumme deſidero vt ſedeam: nam fructus eius dulcis eſt palato meo.* Sponſa.

4 *Introduxit me in locum conuiuij, habens*

habens pro vexillo, amorem erga me.

5 Fulcite me lagenis istis, sustentate me istis malis, nam ægra amore sum.

6 Sinistra eius est sub capite meo, & dextera illius amplectitur me.

7 Adiuro vos ierosolymitanæ, emanete cum capreis aut cum ceruis agri: ne excitate, neque expergefacite hunc amorem, vsque dum voluerit.

8 Vox dilecti mei est, ecce illum, aduenit, saliens super istos montes subsultans super istos colles:

9 Similis dilectus meus capreæ, aut hinnulo ceruorum, ecce illum stantem post parietem nostrum, prospicientem e fenestris, promicantem ex clathris.

10 Proloquens amicus meus dixit mihi, surge amica mea, pulchra mea & veni.

11 Nam ecce hyems transiit, pluuia præterijt, abijt.

12 Elorentia conspiciuntur in terra,

tempus minuritionis aduenit, & vox turturis auditur in terra noſtra.

13 *Ficus ipſa protulit groſſulos ſuos, & vites ipſæ prima vua edunt odorem: ſurge amica mea, pulchra mea & veni.*

14 *Columba mea degens in fiſſuris iſtis petræ, in Latibulo prærupto, oſtende mihi aſpectus tuos, fac vt audiam vocem tuam: nam vox tua ſuauis eſt & aſpectus tuus decens.*

15 *Prehendite nobis vulpes, vulpeculas corrumpentes vineas, dum vineæ noſtræ efferunt primam vuam.*

16 *Dilectus meus meus eſt, & egò illius, qui paſcit in liliis.*

17 *Donec aſpirauerit dies ille & fugerint vmbræ iſtæ: reuertere, ſimilis eſto dilecte mi, Capreæ, aut hinnulo cernorum currenti in montibus diſparatis.*

Huius

HIVVS Capitis partes in vniuersum duæ sunt. In prima, ecclesia sponsi sui præsentiam, vt in superiori Capite didicimus nacta, quos & quantos fructus ex ea percipiat, typis elegantissimis & suauissimis deformat ad versum octauum. In secunda, qua ratione & modo in tantorum bonorum communicationem a sponso vocata sit denarrans, vocationis suæ fructus, voluptatem, pacem, & spiritalium omnium bonorum copiam, floriferi veris amœnitate & rerum omnium vernantium picturata facie deliniat.

Prima pars tria membra continet. Primo laudationẽ mutuam 1.2.3 versibus. Secũdo ineunt conuiuiũ sponsus & sponsa 4, in quo sponsa præ amore animã linquit 5. Tertio in amplexus ruitur, 6, inde somnus. 7. Pars secunda quadrifariã distributa est. Primùm ordo & modꝰ vocationis ad euangelij cõmunionem nostræ describitur 8 9. Secundo loco elegãtissima est prosopopœia spõsi ecclesiam inuitantis ad perfruenda omnia in euãgelio promissa bona, figura venustissima ineuntis anni & vere nouo florentis, vsq; ad versum 15. Tertio cura sponsi apparet iubentis, vt omnia offendicula ex ecclesię germinãtis vinea ministrorum suorũ operâ amoueantur. Vltimo horum tantorũ bonorũ effectus subijcitur, nempe conscientiæ nostræ tranquillitas & certa securáq; futuræ vitæ expectatio 16, cum oratione ad sponsum, vt sedulò & crebrò ecclesiã reuisat

uisat.recreet confirmétq; vsq; ad illius diei,glo-rioſi ſui aduentus exoptatiſſimum exortum.

1 *Ego ſum.*] Primum membrum huius primæ partis. Poterat quidē deus noſtri ſā-ctificationē, ſpiritus ſui participatione inchoa-tam,momento vno explere & perficere. Sed ſempiterno ſuo decreto noluit, ea præcipue de cauſa, vt nos veram animi modeſtiā ex in-genita corruptione noſtra edocti, illiúsque vnius miſericordia pendentes, gratiæ primæ effecta & incrementa,deinde ſempiternæ vitæ gloriam ex illius gratuita clemētia & benig-nitate mera expectemus, vt Qui gloriatur in domino glorietur. 1.Corinth.31 Hæc cauſa eſt cur differat nos & vota noſtra in aliud tē-pus reijciat. Semper tamen ex orationibus no-ſtris fructum eum metimus, vt quantum nobis expedit & conuenit,tantum illius munificen-tia auferamus. Tantum autem expedit, quan-tum illius gloriæ,& humiliatæ animi noſtri ve-ræ conducat. Idcirco etiam, hîc,ſponſæ ſuæ animum iam dudum incenſum, ſpe & cupidi-tate acriori inflammat,vt paulò poſt promiſſi-ones ſuas,maiori noſtro cum fructu,& amplio-re gratię auctario repræſentet. Exordiur igitur ſponſus a ſuæ formæ excellentia, quam duo-rum florum odoratorum & pulcherrimorum cōparatione expolit. Nihil enim hîc aliud,præ-terquàm fragrantiam ſuam, ſpiritus ſui com-munione teſtatam & cognitam, deinde ſpiri-talium gratiarum pulchritudinem & dignita-

tem

tem eximiam commendat, specie picturatorum florum, qui agris apricis, qualis est Scharon, 1. Chron. 27. 29. vallibúsq; lætis gaudent, huiusmodíque locis proueniunt fœliciùs, odoratiorésque existunt. Præterea roseus color liliaceo candori attemperatus, insignis est faciei laus, quo sensu sponsum nostrum forma esse præditum præstantissima, eáque causa dignissimum, qui a nobis ametur intelligimus. 2. *Vt lilium.*] adiungit sponsæ suæ laudẽ, tum vt lætetur illa se a formosissimo sponso laudari, eóq; illius iudicio se in falsis inimicorũ criminationibus, & in omnibus ex infirmitate prolapsionib' soletur, tum etiam ne se putet interim a sponso fastidiri, dum amplexus differantur, quin potius cognitis & exploratis suis sponsíque sui bonis, illius coniunctionis cupiditate incendatur. Lilium intuentes & colore delectat & odore: sic pios ij quibuscum viuitur & morum candore nitentes admirantur, & Christianorum officio rum ab illis promanantium gratis afflantur odoribus. Impij contrà non modo exiguum fructum communibus commodis ferunt, sed etiam innocentes & simplices homines, suorum asperitate aculeorum, infestos habent.

3 *Vt malus*] Ecclesia has laudes a sponso amantissimo sibi adscriptas, agnoscit quidem, sed ita vt ad illum, omnem istius laudis fructum multò iustiùs veriúsque pertinere affirmet. Itaq; non modò sponsum suum, illius exemplum sequuta dilaudat, sed id vt faciat gau-

gratiore animo & modestiore, omnem illam superiùs sibi a sponso attributam commendationem, in illum vti vnicum authorem refundit. Laudas me mi sponse lilium que vocas, agnosco, sed quas tibi grates referam totius meæ laudis fonti? Qua comparatione tuas laudes exprimam? Similis es malo inter infructuosas mundi arbores, cuius & patulis æternúmque virentibus vmbris acquiesco, & suauissimis fructibus vescor. Nam omnis mea laus (lux mea) hæc est, quòd & misericordiæ vnius tuę vmbraculo delitescam, & dulcissimis tuarum spiritalium gratiarum pomis reficiar. Hoc absconditum & incognitum mundo manna est, Apocal, 2. 17, quo tu tuos pascis. Hic fructus tuus (ô arbor vitæ perennis) quem qui degustarit non morietur sed viuet in æternum. Iohan. 6. 49. 50.

4 *Introduxit*] in locum vini hebræi habent. Sed vini nomine conuiuium intelligimus synecdochicè, vt in primo cap. versu 2. Hoc secundum membrum fecimus huius primæ partis. Intelligit autem sponsa se indies sancti spiritus donis magis ornari ac magis, quæ propter iucundissimum saporem cum ciborum lautitijs & vini excellentis potu comparantur. Quosdam quasi gradus seruat Christus in Ecclesia sua sanctificanda, vt primùm præsentiæ suæ copiam faciat, postea basia & suauia cum ea misceat, deinde oculos eius obtuendo pascat, sermone aures oblectet, tum demum ad mensam communem

admittat, antequàm in thalamum ascita & lectum coniugalem concupitis fruatur amplexibus. Hęc vt in profanis amoribus omnia. Precandum autem assiduè est & ardenter, vt istas delicias non legendo aut commentando, sed experiendo discamus, cum propheta rege dicentes. Quasi adipe & pinguedine saturatur anima mea. Psal. 62. 6. Hùc etiam apostolus respexit, vinum hoc perspicuè interpretatus. Ephesios. 5. 18. 19. Ne inebriemini vino in quo luxus est, sed impleamini spiritu. Quid sibi vult ista apostoli, vini spiritúsque collatio? Vt corpus vino exhilaratum in omnem lætitiam & voluptatem effunditur: Sic mens spiritu ebria, psalmos & hymnos, & cantiones spirituales, eructat. Allegoria est ab effectis vini & spiritus, in plurimis huius cantici locis obseruanda. *Habens pro vexi.*] Solent viri militares affectibus suis indulgentes, amorum suorum insignia pro vexillo & nobilitatis scuto dare & ferre. Huiusmodi scutum sponsi ac vexillum, sponsa sibi ingredienti cœnatum & in cœnaculo versanti ante oculos existere & perpetuò ferri narrat. Qua re lætatur incredibiliter, cum sponsum videat omnem suam nobilitatem & gloriam in ecclesiæ suæ amore vnico positam existimare. Tremelius autem paulò aliter explicat. Vnico suo amore erga me velut insigni ante oculos posito, animum meum ad se pertrahens,

vt

vt milites a duce conuocantur & continentur ſub ſignis. Siue hoc ſiue illud ſit, percipit ſponſa & animo perſentit, infinitam illam Chriſti erga nos æterni amoris vim, qua nos ex gratuita electione gratos habet, ad laudem gratię ſuæ glorioſæ. Epheſios 1. 4. & ſequentibus, & 3. 18. 19, ex quo, illius viciſſim amore mutuo inflammatur.

5. *Fulcite me*] Sponſa delibatis ſpiritalis iſtius conuiuij dapibus, ſed præcipuè illa ambroſia illius ſempiternę & indiſſolubilis Chriſti erga nos charitatis guſtata, inter cœnandum himio amore exanimata concidit. Accurunt puellæ reginam vt ſubleuent. Illa cauſam λειποθυμίας exponit, ſe amore ægram eſſe. Cupere, vt ſe ſalutari ſponſi ſui potu ex ſcripturarum lagenis exprompto recreent, vt ponis odoratorijs ex eodem penu, nares ſenſúsque omnes refocillent. Docta enim & in animæ medicina verſata ſponſa ſcit, eam eſſe amoris vim & naturam, vt quibus ex rebus læſus ſit, ex ijſdem ſolummodò remedium petere debeat. Succum ergo illius generoſi quod biberat vini, & odorata dulciáque ex menſa melimela, huic defectui animi, medicinam ſolam eſſe, nec aliud eſſe vllum huius deliquij ἐφαστικὸν. Qui crucem ſuis cupiditatibus defixit, is animam Chriſti amore linquit, qui verò carceres, cruciatus, laniatus, qui ignes & gladium & deartuationē, verę & puræ

& ex

& ex dei verbo reformatæ religionis causa perferre possit, is quasi ex corpore emigrasse & euolasse existimandus est. 6. *Læua eius sub.*] Tertium membrum primæ partis, in quo cubitum itur. O pelagus inexhaustum diuinæ bonitatis. O dulces istos & optabiles amplexus. O solidas & sinceras voluptates. O purissima mentis gaudia. Ecclesia hic inter Dei, patris & creatoris, imo sponsi sui brachia acquiescens, sempiternę vitæ delicijs pascitur, & extra se & mortalem naturam vi spiritus abrepta, cœlesti angelorum pabulo satiatur. Quid diximus? Imo inexplicabili animi voluptate perfusa, inter amantissimas sacræ triados vlnas colliquescit & purissima mentis lœtitia soluitur. Vide hic spiritus sancti castam & pudicam orationem, & quanta verborum honestate maximas & mellitissimas voluptates velauit. Hic tu christiane frater pro tua pietate mihi rogandus es, vt Deum optimum maximum pro ista sua infinita erga homines misericordia, communibus votis comprecemur per Ihesum Christum filium suum charissimum, ita se totum per spiritum paracletum in nos infundat, ea nos spiritualis voluptatis abundantia expleat, vt istos affectus oratione inexplicabiles, in intimis animi præcordijs sentiamus. Hic hic illud ζωὴ καὶ ψυχὴ ingeminandum est: Hic illud Petri valet, bonum est nos hic esse, faciamus nobis ad habitandum hic tabernacula, Marc. 9, 5. Quid clamemus hic? Aut quibus vocibus

gaudia

gaudia noſtra teſtemur? Quid mihi eſt in cœlo præter te, & præter te quid deſidero in terra? pſal.72.25. 7. *Adiuro vos fil.*] Hoc conuiuium & congreſſus & ſomnus in prædio ruſtico, idque poſt venationem accidiſſe fingitur, vt fieri ſolet in huius mundi amoribus. Sponſa puellas aulicas & pediſequas ſuas admonet, atque adeo grauiter interminatur, vt emaneant longè a prædio cum capreis & ceruis quos venatione hac perſequebantur, ne dormiente ac requieſcente inter vlnas ſuas ſponſo, non modò turbas excitent ad expergefaciendum, ſed neſtrepitum vel minimum faciant, vt illi ſomnus excutiatur. Quid enim eſt adiuro vos? Niſi væ mundo ab offendiculis, neceſſe eſt vt offendicula eueniant, ſed væ homini illi per quem offendiculum euenit. Sed ibi Chriſtus ſollicitus eſt pro pace & quiete eccleſiæ, hîc autem eccleſia laborat, ne Chriſtus offendatur. Qui vos conturbat, portabit iudicium ſuum, quicumque tandem ſit. Ad galatas 5.10. *Hunc amorem*] Id eſt ſponſum quem vnicè amo, metonymia. 8. *Vox dilecti mei*] Secunda pars capitis hîc incipit, eiúsque partis primum membrum hijs duobus verſibus definitur, quibus ſponſa explicat, quemadmodum in tantorum bonorum, quanta hactenus ſe adeptam & expertam ex ſponſi præſentia narrauerat, communicationem vocata ſit. Suam autem vocationem ita deſcribit, vti primùm vocem ſponſi,

ex illius verbo audiuerit, deinde ipsum venientem viderit & agnouerit. Eius verò aduentum ad se duabus similitudinibus illustrat, altera, a celeritate maxima Capreatum ac ceruorum, altera ab homine qui se conspiciendum quidem, non pleno tamē primùm aspectu, sed quasi post parietem aut ex fenestra, aut per clathros præbeat. Vox dilecti verbum dilecti est, quod simul ac intonuit, ecce illum, quia manifestam suæ diuinitatis & maiestatis præsentiam in verbo exhibet. *Aduenit*] Deinde spiritus sui efficacia testatum apud animos nostros facit se velle venire, remedium nostris miseriis ac peccatis quàm velocissimè allaturum. *9. Similis dilect.*] Hæc autem tanta festinatione omnia, nulla vt cerui aut capreæ velocitas conferri queat. A venatione figura deducitur. *Ecce illum.*] Altera similitudo qua ostenditur, deum se ecclesiæ atque singulis Christianis, gradibus quibusdam, & incrementis paulatim notum facere, neque plena sui notitia primo momento perfundere, id quod in se quisque est expertus, qui in re Christiana progressus fecerit. Nam aliud est præsentem audire, non tamen cernere, quòd se quasi pariete obtegat, aliud e fenestra prospicientem procul intueri vt liquidè claréque dignoscere non possis, aliud propiùs quidem, sed tamen quasi per clathros & per transennam videre, a-

liud

liud denique & loquentem tecum audire, & oculis contueri, & illius erga te benevolentiæ, ipsius ore fieri certiorem. Hoc itaque pacto nos, quasi puerilibus elementis, & tyrocinijs quibusdam pietatis institutos & educatos, cum maturum illud illius prouidentiæ tempus aduenerit, tum demum se nobis clarissima luce conspicendum, & manibus nostris quasi contrectandum præbet, plenáque & nostræ ipsorum miseriæ, & suæ erga nos infinitæ & sempiternæ Charitatis notitia explet, dicendo.

10. *Proloquens amicus*] Partis secundæ secundum membrum. Promissiones euangelicæ, fructus & effecta vocationis nostræ hac elegantissima allegoria describuntur. Sponsa loquitur ipsa quidem, sed oratione ea vtitur quam a sponso acceperit atque audiuerit. Hoc artificium rhetoricum ab illis prosopopœia dicitur, & ad versum 15. expletum protenditur. Hoc primo versu, ecclesiam certam facit suæ erga illam voluntatis, omnémque De ipsius ad Christum vocatione & spiritalium istorum fœderum sanctione euellit dubitationem. Surge inquam, pro mea ego te authoritate iubeo. Ego sponsus tuus, te amicam meam, te pulchellam meam, & verbo affero & re ipsa præsto. 11. *Nam ecce.*] Non credis mihi? vide ac cerne oculis hyemem illam tempestatibus horridam, procellis atram

eum a me alienata in peccatis iaceres diſcuſſam ac diſſipatam eſſe. Non ſentis iram omnem meam ſedatam & plenè placatam eſſe? Hoc primum euangelicum beneficium eſt nempe pax. 12. Florentia conſpi.] Non vides omnem terram, ſpiritus mei ſuauiſſimis floribus ac ſanctificationis germinibus conueſtitam vndique vernare? Hoc ſecundum beneficium eſt, nempe ſanctificatio & veteris adami noſtri ad iuſtitiam & ſanctitatem reſtauratio. Hoc tempus eſt putandæ & perpurgandæ vitis domini, Iohannis 15. 1. 2. & ſequen. 13. *Ficus ipſa pro.*] Omnes fructus precioſiſſimi maximam & copioſiſſimam meſſis futuræ vbertatem ſpondent. Hoc tertium beneficium eſt, bona & ſancta ſanctorum & fidelium opera, in Dei verbo præſcripta, & ab ipſius ſpiritu in nobis inhabitante promanantia. Surge itaque & iſtis tantis bonis a me in te profectis fruere. Nam te iterum amicam meam, iterum pulchellam meam, vt faciam te meę voluntatis, & tuæ maximæ dignitatis quàm certiſſimam appello. 14. *Columba mea.*] Noua & exquiſita figura energeticè illius ſuperioris hyemis horrifonas tempeſtates, & floridam huius veris amænitatem elegantiſſimè exprimens. In Columbæ voce philtron quoddã hhebraicon & blãditias amatorias agnoſco, aliud nihil. Habent nationes enim omnes, propria & peculiaria vocabula, quib' affectus amorum ſuorũ indicent. Quin etiã orationis

onis ipsius series ostendit, cur ecclesia columbæ comparetur. Superiori tempore (inquit) peccatorum tuorum conscia pauebas, me & meum conspectum horrebas, & vt columba timidissima locis præruptis & inaccessis quærebas a iudiciorum meorum formidine temet abdere. Tu verò in mei æterni de salute tua decreti arce, & in prædestinationis meę rupe editissima delitescebas, vnde nec hostium tuorum robur & astutia, nec tua ipsius voluntaria improbitas, te sexenties præcipitem deturbare conata, dissicere vnquam potuit. Nunc verò postquàm mihi, amoris erga te mei perpetui fructum tibi repræsentare libuit, & te mihi in coniugem deligere, omnibúsque officiorum summorum & intimorum significationibus, idipsum apud conscientiam tuam facere testatissimum, egredere ex istis pauorum tuorum cauernis, obambulemus pariter, obequitemus agros, confabulemur iucundissimè, amabilibus tuis ocellis defige meum vultum, me marito tuo, tui amantissimo, tui cupidissimo, tibi fidelissimo, intrepidè, familiarissimè, amantissimè vtitor. Nam ego deus hoc tibi fide mea confirmo, nemo hominum vnquam, vxoris suæ charissimæ dulcissimo sermone ita delectatus est, facie venustissima ita est incensus, vt ego voce vultúq; tuo afficior. Insignis est consolationis locus & ad certam persuasionem diuinæ erga nos beneuolentiæ cum primis facit. Ego quidem has illius promissiones, illius maiestati

ieſtati obtendere ſolitus ſum, cùm ad precandum, ad concionandam, ad legendum, meditandum, ſcribendum accedo, certò perſuaſus quicquid ex illius verbo pro vocationis meæ ratione facio aut dico, vtut meis conatibus ſucceſſus reſpondeat, illi tamen pro ſua in Chriſto Iheſu miſericordia & iſtarum promiſſionum amplitudine, grata acceptáque fore omnia. Oſtende mihi aſpectus tuos, fac audiam vocem tuam, nam vox tua ſuauis eſt, & facies tua decora.

15. *Prehendite nobis.*] Hoc membrum tertium eſſe diximus huius ſecundæ partis, in quo ſummum ſtudium ſponſi noſtri cernitur, vt offendicula omnia, imo etiam minimæ quæque offenſiunculæ ſiue moribus ſanctis officiant, ſiue doctrinæ puritati, ex eccleſiæ vinea extirpentur. Hæ vulpes ſunt, hæ vulpeculæ quæ capi ac interfici debent ne vineam florentem corrumpant. Quæ quandiu viuere & vineam populari ſinuntur, vitiarium domini fouea vulpecularum fit. Hoc paſſim fit in Anglia, partim paſtorum ipſorum, partim magiſtratuum & præfectorum paci culpa. Hos enim ſolos habemus quorum opem contra homines deploratæ vitæ. implorem⁹. Paſtorum vulgus, vulpes carpentes florem vineæ Domini cernit, ille interim

dc

de interpretatione verbi, imo alicuius vo-
culæ ſubobſcuræ, valde ſubtiliter concionatur. De vulpe magnum ſilentium. Vulgus miratur hominis acumen, quin & vulpes ipſa obſtupeſcens, laudibus fert in aſtra. Tu vinitor es? Tu vulpes es. Cape ac interfice vulpeculam quam tu non poſſis non cernere corrumpentem vineam noſtram quæ etiámdum in flore eſt. Alióqui ego tibi denuncio, dominus vineæ cum venerit, te miniſterij tui inſignibus exauthoratum, cum vulpeculis iſtis, æternis cruciatibus addicet. Quòd ſi paſtores ſuo officio, bona fide & conſcientia fungantur, vulpésque grandes & veteratorias, magno canum latratu, cornuúmque clangore inſequantur, niſi magiſtratus ſuos etiam canes in vulpem opportunitate ſeruata emittat, vulpes canum fauces ludificata, montíſque inacceſſi nacta rupem, canes & venatores omnes obganniendo ridet, quin imo eum qui e fouea egreſſam, primus clamore ſublato prodiderit, conuicijs & contumelijs proſciſſum, exagitat acerbiſſimè, ſi modò incolumis ſine maximo quopiam infortunio inſigníque malo illius cruentos rictus euadet. Quapropter, vos ego omnes, Principem, Nobilitatem, Epiſcopos, Iudices, iuſticiæ patronos, plebeios, in domino noſtro ſeruatore, & amantiſſimo ſponſo Chriſto oratos obteſtatósque volo, ſi quem iſtarum conſolationum Chriſtianarum

rum gustum vnquam delibastis, si istas amplissimas & dulcissimas promissiones ad vos pertinere vlla ex parte putatis, si pro tantis & tam diuinis beneficijs vos gratos memorésque præstare vultis, quoniam Deus ipse non modò hîc iubet vos, sed etiam modum & ordinem suo expresso verbo reliquit, capiendi & eijciendi vulpeculas istas ex sua vinea, 1. Corinth, 5. eum modum reuocatum & restauratum in ecclesia Dei curetis. Ea autem legitima excommunicatio est, nerui & artus christianæ politeiæ. Hæc vt hîc admoneremus, facit, tum huius loci, administrationem ecclesiæ necessariam perspicuè postulantis & vrgentis explicatio, tum ecclesiarum nostrarum anglicarum facies statúsque lamentabilis, extremam ruinam & vastitatem, subitò futuram denuncians. Neque tamen rigidè omnia exigi, aut ad viuum resecari, tantum abest vt quicquam crudeliter aut vt in papatus regno fieri consueuit tyrannicè geri velimus. Nisi enim ego ipse qui ista scribo, magna legum communium clementia & indulgentia pastorum tolerarer, dum pro conscientiæ meæ tranquillitate legere, audire, addiscere, & ad veritatem indagandam omnibus subsidijs vti possem, alterutrum eueniret, vt aut perfidiosè & simulatoriè contra conscientiam meam, in religionem protestantium intempestiuè iurare cogerer, quòd certè non fecissem, aut si iure summo mecum præproperè actum esset, vtrâq; vitâ & ista momentanea & illa perpetua exclude-

cluderer. De manifeſtarijs athéis intelligo, de ijs qui craſſas & denſas & palpabiles tenebras amant & tuentur, qui ſcientes & prudentes ad ſolem occludunt oculos, aures rationibus e ſacra ſcriptura petitis obſtruunt, qui luci verbi obluctantur victi, qui lenitate & patientia legum exaſperantur, & certiſſima ſigna animi deſperati dant. Denique homines ebrietati deditos, quotidianis helluationibus dementatos aut ſepultos, publicos concubinarios, infames adulteros, vſurarios pernicioſiſſimos, male dicentiſſimos rabulas, perturbatores pacis, hominum tenuium pulſatores, oppreſſores pauperum, percuſſores, ſanguinarios, inceſtuoſos, homicidas, qui hos blandè moneri, publicè obiurgari, deſperatos ex chriſtianis cœtibus eijci, poſtremò magiſtratus coercitione compeſci nolit, éſtne quiſquam chriſtianus? Hoc denique in verſu hoc, notandum eſt, non ipſum ſponſum loqui, ſed eccleſiam illius ſermone vti, & quæ ornamenta illius promiſſionibus magnificentiſſimis habeat, quantęque illi curæ ſit, ipſam narrare. Eſt enim vltimus verſus huius proſopopœiæ ſuperiùs obſeruatæ. verſ. 10. 16. *Dilectus meus*] Gloriatio fidei eſt aduerſus omnes ſatanæ, & hoſtium noſtrorum quorumcumque criminationes. Atque hoc quidem vltimum membrum eſt huius partis ſecundæ, in quo conſcientiæ ſumma pax & tranquillitas optatiſſima, cum futuræ gloriæ ſecura expectatione continetur. Hæc autem effecta ſunt ſuperio-

periorum promiſſionum euangelicarum, ex Chriſti beneficijs in nos profectis ampliſſima. Quaſi dicat ſponſa. Quid eſt ô ſatan? Audiſtin' ? Omnia? A principio? Quid habes ergo aduerſum nos? Accuſabisne ſponſam Dei? Reginam Chriſti tu accuſabis? Aſt ille meus ſponſus eſt, ille Rex meus eſt, ne tu quidem cognitis & perſpectis illis amoris in me ſummi illius ſignis, pignoribúsque certiſſimis negaueris. Sed tu illius ſponſa non es, niſi vera & viuida fide promiſſiones amplectaris. Imo & ego illius ô ſatan ſponſa, coniux, regina ſum, quia illius luce illuſtrata, promiſſiones veras eſſe cerno, fide viua & valida in eis acquieſco, teſtificante ſancto ſpiritu illius, cum ſpiritu meo, ad me ad me ſatan, non ad te ad tuos ſatan, pertinere intelligo, ídque ſine vlla vel minima dubitatione credo. Quid tibi videtur tandem? Annon dilectum meum, meum eſſe, me rurſum illius ſponſam, & reginam, & regis mei vxorem veriſſimè colligo, certiſſiméque efficio? Expendant hæc verba, per Iheſum Chriſtum obteſtamur expendant, qui & ipſi conſcientijs ſuis neceſſe eſt, miſerè fluctuent, & populum chriſtianum ſalutis ſuæ ſecuritate, & diuinæ erga ſe benevolentiæ clementiæque certitudine ſpolient. Dilectus meus, meus eſt & ego illius. Non enim pro idea aliqua aut commentitia eccleſiæ forma quæ nuſquam extet, aut pro externa illa eccleſiæ ſpecie ac larua, quæ in

oculos

oculos noſtros paſſim incurrat, a ſpiritu ſanctificationis qui anima eſt eccleſię quandoq; abalienata, ſed pro mentium verè chriſtianarum conſolatione, pro te frater, pro me, hæc ſpiritus ſanctus ſcripta, & æternis tabulis obſignata voluit. *Qui paſcit.*] Id eſt qui hijs gaudijs qui hoc nectare & manna, qui hijs dulciſſimis conſolationibus animos ſuorum ſatiat, non ſecus ac paſtor, qui oues ſuas puro & ſalubri pabulo in amænis lilietis paſcat. 17. *Donec aſpirau.*] De litera primùm agamus, de ſenſu poſtea. Celeritas iſta ſponſi a ſuperiori illa venatione, verſ. 7.8.9, ducitur, eadémque allegoria vtróque loco eſt. De montibus diſparatis hoc ſciendum eſt, montes Gilhhadis, a Iudæa reliqua, Iardane amne diſterminatos, maximam venandi commoditatem eo tempore habuiſſe, vbi venatus iſte regalis, maxima aulicorum & vniuerſi comitatus ſui frequentia, a ſalomone celebratus eſſe fingitur. Denique reuertere pro accurre interpretor vt infra. 8. 7. Nunc de ſenſu dicamus. Oratio eſt pro magno illo perſeuerantiæ dono, electis ſolis proprio & peculiari, quod illi ex fide poſtulant & certò impetrant. Agnoſcit eccleſia, ſe diuina quidem luce circumfuſam eſſe, ſed hanc lucem meras eſſe vmbras ac tenebras, ſi cum diei illius glorioſiſſimi fulgore comparetur, cùm aſſumpta in cœlos immor-

mortalitate conueſtietur, in eandem cum domino transformata claritatem. Senſus eſt, quoniam frigus ac torpor noſter is eſt, vt amoris noſtri ardor vehementiáque ſæpiſſimè deferueſcat, precatur ſponſa id ne accidat, ſed mora nulla ſponſus vt deuolet cœlo, & crebrò ſopitos ignes aduentu ſuo exuſcitet. Ineſt etiam in hijs verbis oratio, pro æternæ vitæ acceleratione. Nam præclara iſta antitheſis vmbrarum iſtarum ſpiſſatum & vaniſſimarum, & illius æternitatis puriſſimæ lucis, id ipſum flagitat. Hanc enim caliginem quàm ocyſſimè diſcuti ſponſa petit, vt ille dies aureus tandem inuehatur. Veni domine Iheſu veni, Amen.

Apoca. 22.

20.

Caput tertium.

Ecclesia suum maximum & indefessum studium quærendi, fide prehendendi magis ac magis Christum exponit, 1. 2. 3, vt arctiori cum illo amoris nexu ac vinculo indies conglutinata, tandem illi prorsus adunetur, 4. Quod quoniam in hac vita ex animi sui sententia, sibi contingere non posse intelligit, ad cælestem patriam vbi voti sui compos est futura, maximo desiderio anhelat & suspirat, 6. Cuius securitatem 7, 8. opes & mirificam elegantiam, 9. 10. tum etiam ipsius Christi diuinam & inexplicabilem gloriam 11. tropis suauissimis ad incendendum studium suum exornat.

Sponsa.

1 IN cubili meo per noctes, quærens eum quem amat anima mea, Quærens eum cum non inuenissem eum dixi,

2 Iam surgam, & obibo ciuitatem, per vicos & per plateas quæram eum quem diligit anima mea, sed quærens eum, non inueni eũ.

3 Inuenientibus me custodibus, qui obeunt ciuitatẽ dixi, an eũ quem diligit anima mea vidistis?

4 Paululum preteriueram ab illis cum inveni eum, quem diligit anima mea, prehendi eum, non si-

tura eum, vsque dum introduxero eum in domum matris meæ, & in conclaue genitricis meæ.

5 Adiuro vos Ieroſolymitanæ, emante cũ capreis, aut cũ ceruis agri: ne excitate, neque experge facite hunc amorem, vſque dũ voluerit.

Puellæ. 6 Quænam eſt illa aſcendens ex deſerto, velut ſuffumigata, excitatis fumis: ſuffumigata myrrha et thure præſtantiore, quam omnis puluiſculus aromatarij?

Sponſa. 7 Ecce lectus eius præſtantior eſt eo qui eſt ſchelomoni, quem circumſtant ſexaginta potentes, e potentibus Iſraelis.

8 Omnes ſtringentes gladium, edocti bellum, quiſque accinctus gladio ſuo ſuper femur ſuum, a pauore ſingulis noctibus.

9 Thoro, quem parauit ſibi rex ſchelomo, ex lignis Libani,

10 Cuius columnas fecit argenteas, cuius ſtratum aureum, cuius ſtragula purpurea, cuius interiora quaſi pauimentata amore, a puellis

puellis ieroſolymitanis.

II *Prodite & ſpectate puellæ Tzi-*
ionis, regem Schelomonem, cum
corona quam curauit ei mater
eius, die ſponſaliorum eius, & die
letitiæ animi eius.

SVperiori capite deſcripſit ſchelomo modum & ordinem vocationis noſtræ omnem, eiuſdémque effecta, nempe ex remiſſione peccatorum pacem, ex ſpiritu ſancto in nos copioſè effuſo renouationem & interpolationem mentis noſtræ, inſtar terræ picturatæ, & vere læto florentis, ad imaginem Dei creatoris, tum verò fructus ſuaues fidei noſtræ ad laudem Dei & proximorum noſtrorum vtilitatem, poſtremò ſecuram & certiſſimam futuræ gloriæ expectationem, cum fidei gloriatione aduerſus ſatanam & epinicio partæ iam planè victoriæ. Iam verò hoc capite docet, quo pacto homines vocati & renati ſuæ vitæ curſum moderentur. Eorum autem vita in duplici meditatione ſiue exercitatione verſatur. Nam vel in eo elaborant, vt Chriſtum quotidie meliùs cognoſcant & meliùs, vt illius erga ſe voluntatis, beneuolentiæque certiores indies fiant, vt illius amore mutuo magis ac magis flagrent: Vel quoniam in hac vita ex parte cognoſcimus, ex parte amamus, cum au-

tem venerit quod perfectum est, id quod est ex parte abolebitur, 1. Corint. 13. 10, in eam curam omnibus neruis incumbunt, vt cœlestis patriæ spe se solentur, eiúsque studio inardescant Hoc igitur caput has duas habet partes. Prima quæ pietatis nostræ in hoc mundo studium progressúmque describit, primis quinque versibus absumitur. Secúda, occasione sumpta ex quæstione pedissequarum sponsę ardorem & indefessam solicitudinem admirantium, cœlestis gloriæ optabilem securitatem & tranquillissimam opulentissimámque quietem effingit. Pars prior tres gradus quasi in pietatis schola proficiendi habet, tribus primis versibus, deinde nostri studij & laboris finem & fructum, videlicet expetitos nostri sponsi amplexus versi. 4. Secunda pars tria conspicua membra insigniáque continet. Primum futuræ vitæ securitatem explicat. 7, 8. Secundum opulentiam gloriæ, 9. 10. Tertium hypotyposi elegantissima puellas & pedissequas sponsæ, in rem præsentem ducit, magnificentissimam Christi gloriam in qua perfruenda, omnis nostræ spei summa consistit, ex collatione salomonis per vrbem Ierusalaima curru transuecti, insignibus conspicui regalibus, & imperii gestaminibus radiantis, oculis subiiciens, versu vltimo.

1 *In Cubili.*] In hac prima parte ecclesia suum officium nobis deliniat typo fœminę amore ebriæ, aut potiùs insanientis. Quæ ne noctu quidem in lecto molli somnum dulcem

cem capere poteſt, quia amaſium in vlnis ſuum non teneat, cuius abſentiam quacunque cauſa accidat, ne ad momentum quidem ferre poſſit. Id igitur ex hoc verſu diſcimus, in quacumque animi remiſſione, in quocumque corporis oblectamento, quantumuis ſuaui ac neceſſario, id nobis cogitandum eſſe, num Chriſtus nobiſcum adſit? id eſt num conſcientia bona, integra & pacata fruamur, certò perſuaſi nos in vocatione noſtra ex legis diuinę præſcripto viuentes, deo acceptos eſſe? Nam id demum eſt, Chriſtum in lecto quęſitum inuenire. Quòd ſi quæras, non autem inuenias, ea tibi voluptas ſit turpis eſt abiicenda, ſi neceſſaria intermittenda eſt, aut ſaltem inſuauis amaráque putanda, ſurgendúmq; maxima feſtinatione, vt ſponſum tuum abſentem quæras, quæſitum inuentúmque domum ad te deducas. Quòd enim hic ſponſa de neceſſaria corporis curatione loquuta, vna ſpecie ſubiecta, reliquas reticet, ſubindicat homines verè renatos in omni vita, non modò voluptatis aut commodorum, ſed etiam ipſius corporis negligentes eſſe, niſi quatenus benè ſibi conſcij, Chriſtum in animi penetralibus, tanquàm fidei vlnis amplexentur.

2 *Iam ſurgam*] Hæc ſedula & ſollicita ſponſi perueſtigatio, docet homines regeneratos, nullas moleſtias, nullos labores ſubterfugere, vt pacem conſcientiæ & Chriſti copiam in mentis ſuæ ſecreto cubiculo nanciſcantur, nec illis impedimento aut dehortationi eſt vl-

li,mundi dormientis altúmque ſtertentis, & inaniſſimis ſomnijs deluſi ſecuritas. Stertit mundus, vigilat eccleſia, & aſſiduitate laboris, noctis moleſtiam concoquit, vt Chriſto plenè perfectéque iungatur. Quòd enim ait ſe quærendo non inuenire, non ita accipiendum, eſt quaſi ſponſus eccleſia abdicata & repudiata diuorterit, ſed quòd infirmitatibus quibuſdam laborat & languet eccleſia, quò minùs ſponſi præſentia, pro voto & animi ſui deſiderio frui poſſit. Alióqui ea chriſtianorum conditio eſt, vt quantumuis Chriſtum inueniant, ſemper tamen magis inuentum ac magis cupiant, quantacumque pace conſcientiæ fruantur, eam augeri tamen & amplificari deſiderent. Superiore igitur verſu voluptates & iucunda vitæ huius blandimenta aſpernari didicimus, niſi conſcientiæ integræ teſtimonium habeamus, hoc autem labores & difficultates omnes ſponſi noſtri obtinendi & potiundi cauſa, fortiter conſtantérque exantlare. Ineſt denique hijs verbis tam ſæpè repetitis magna emphaſis, quem diligit anima mea, quod Iohannes opere & veritate diligere interpretatur, propterea quòd ſunt homines quidam, qui verbo tantùm & lingua ament. 1. Iohan, 3. 18.

3. *Inuenientibus.*] Tertius in pietate progreſſus eſt, vt pericula quæuis ſponſi noſtri inueniendi cauſa ſubeamus. Hæc fœmina namque nobis in exemplum propoſita, intempeſta nocte in circitores incidens, tantum ab-

eſt

est, vt metu exanimata latebras captet, aut dum examinetur, quæstióque de ea habeatur expectet, vt vltro palam se prodat, amorem suum sine pudore, causam nocturnę circumcursationis sine magistratus formidine professa. Et sanè qui cruce in humeros sublata, doloris & mortis terriculamenta, contenere didicit, is demum in schola christiana solus multùm profecit. Qui id verò non didicit, Christi discipulus, Dei sponsa, ecclesiæ membrum non est. Atque ita mihi videor spiritus sancti mentem, illius vnica luce & ope assequutus, hunc locum verè illustrasse, multísque multorum vanissimis deliramentis perpurgasse. Illa tamen Gregorij Romani primi explicatio, mihi visa indigna non est, quam referam, quia sententia tametsi scopo aberret pia est, ijs qui reconditos & anagogicos scripturæ sensus amant, fortè valdè iucunda futura. Dilectum in lecto quærimus, quando in præsentis vitæ aliquantula requie, redemptoris nostri desiderio suspiramus. Per noctem quærimus, quia etsi iam in illo mens vigilat, tamen adhuc corporis oculus caligat. Qui ergo dilectum non inuenit, restat vt surgat, & ciuitatem circumeat, id est sanctam electorum ecclesiam mente & inquisitione percurrat, per vicos & plateas eum quærat, id est per angusta & lata gradientes aspiciat, si qua in eis inuenire valeat Christi vestigia, quia sunt nonnulli etiam secularis vitæ, qui imitandum aliquid habeant de virtutis actione. Quærentes autem nos, vi-

giles inueniunt qui custodiunt ciuitatem, quia sancti patres, qui ecclesiæ statum custodiunt, bonis nostris studijs occurrunt, vt suo vel verbo vel scripto nos doceant, quos cùm paulùm pertransimus, inuenimus quem diligit anima nostra. Hæc ille. 4. *Paululum præte.*] Fructus sedulitatis & constantiæ nostræ in quærendo Christo est, vt eum inueniamus. Voluptates namque spernere, labores exhaurire, pericula intrepidè fortitérque adire Christi adipiscendi causa, certissima pignora sunt illius in nobis inhabitantis, tametsi nostro sensu & opinione longè abesse videatur. Præterea habent hæc nostri in illum amoris officia, certas & constantes promissiones, fore vt veniat ad nos, & nobiscum commoretur, & se nobis conspicuum, modo tantùm non aspectabili, manifesto certè præbeat. Iohan. 14, 21, & 23. Qui diligit me, diligetur a patre meo, & ego diligam eum, & conspicuum ei exhibebo meipsum. Hoc est quòd hîc dicit sponsa se statim post labores exantlatos inuenisse Christum. Molestijs enim multis nos perfunctos, statim solari solet ne defetiscamur, & afflatu spiritus consolatoris sensibili, præsentiam maiestatis suæ in animis nostris restificari. *Prehendi eum*] Magno amoris affectu irrui in eũ. *Non situra*] Non patiar posthàc mea negligentia tam charũ mihi sponsum a me discedere. *Introdux.*] Hoc est, in publicos cœtus deducam Christum, vt palam in ecclesia eum laudem, amorem erga illum meum

meum in conſpectu timentium eum, aperte pręme feram, vt gratiarum actione illum celebrem, in illo læter & geſtiam gaudio, vbi illius amplexibus concupitis potita, inter illius brachia voluptate ſpiritali colliqueſiam. *Matris meæ & genit*] Eccleſia loquitur ſingulorum ſuorum membrorũ nomine, vndè ſe gnatam communis omnium matris appellat. Nam cùm vniuerſè pro toto corpore, adiuncto capite chriſto conſideratur, tum mater iure dicitur, & honorificentiſſimam huius nominis reuerentiam exiſtimationémque nobis commendat; cuius & Chriſtus ipſe, membrum habetur, & filius dicitur, & vetus iudæorum, nouáque chriſtianorum congregatio, filiæ nuncupantur, intérque ſe ſorores & Chriſtus vtriúsque frater. Infra 4,9. & 7,5,6, & 8,1. 5. *Adiuro vos.*] Amœbæus verſus, vbi etiam ille alter ſuppleri debet. *Siniſtra eius ſub* & cætera] de quibus quantũ ſatis nobis viſum eſt eo loco dixim⁹. Supra 2,6. 7. 6. *Quænam eſt illa*] Paraſceue eſt ad ſecundam partem capitis principalem. Pediſſequæ loquuntur, ad reginæ tot & tantos labores exantlantis, magnitudinem animi inuictam obſtupefactæ. Aſcendere ex deſerto eſt, ſupra mundum iſtum virtutis & pietatis inaniſſimum ſpiritus ſancti cultura vacuũm, dumis & vepribus hirtum, beſtijs immaniſſimis terribilem, fide viuida, validáque ſpe effetri, curſúque concitato ad beatas illas & cultas regiones cœleſtes conten-

contendere. Iam autem suauia odoramenta & suffitus aromatum iucundissimorum, spiritus Christi fragrantiam insinuat, qua sponsa ex illius copia inexhausta, tota respersa, & tanquam puluisculo seplasiarii arte suauissimè attemperato suffumigata est. Supra, 1, 3. Facit autem admirationē, labor sponsæ indefatigabilis, præsertim certæ & securæ futurarum nuptiarum, interea autem temporis, donec dies nuptiis dictus aduenìat, multis & pretiosissimis sponsi ornamentis, certissimis illius voluntatis pignoribus donatæ. 7. *Ecce lectus eius.*] Primum membrum secundę partis. Respondet sponsa. Si vestrum aliqua Schelomoni regi quidem magnificentissimo, homini tamen mortali desponsa esset, quanto illa matrimonii tandem conficiendi desiderio langueret? & ego ad sponsum meum cœlestē, ad seruatorem meum Ihesum Christum, ad hominum omnium & angelorum regem, ad maritum meum, mei tam amantem, de me ita meritum, omni animi ardore, omnibus neruis corporis non accelerarem? præsertim cùm & illi meam fidem probare, & meam apud animum meum electionem certam facere, ista sola ratione possim? *Quem circumstant* 8. *Omnes stryng.*] Deinde quàm nihil fœlix, nihil beatum, nihil securum in Schelomonis coniugio sit, declarat magnus ille spiculatorum fortissimorum numerus, excubias ad illius lectum agere solitorum, qui illius dormientis vix vitam & spiritum

tum cuſtodiant incolumem. Aſt in meo illo cœleſti thalamo, in quem iam ſpem & mentem defixi, ſomnus vacat inſidijs, quies periculo, ſecuritas metu. Commendatio eſt futurę fœlicitatis a ſecuritate. *9. Thoro quem.*] Membrum ſecundum. Quod ſi genialis illius Thori (inquit ſponſa) noſtri, opes regales, & ſumptuoſiſſimum apparatũ vobis poſſem enarrare, tum ſanè meum iſtum laborẽ, veſtra opinione maximum, mea verò exiguum, comparatione tantæ gloriæ certè nullum, mirari deſineretis. Rei autẽ magnitudo tãta eſt, vt neq; oratione explicari, neq; cogitatione informari poſſit. *Ex lignis Libani:* 10. *Cuius colum.*] Vos tamen ex iugali ſchelomonis lecto coniecturam facietis. Nam ſi ſchelomo, cuius diuitiæ paupertas, cuius magnificentia mendicitas eſt, ſi cum Ieſu Chriſto conferatur tantos ſumptus in coniugali ſuo lecto ornando & decorando exhauſit, quid hic faciet? annon omnes diuitiarum ſuarũ theſauros in ipſius magnificentia declaranda & ſponſa ſibi chariſſima beanda, & illius fœlicitate ad votum etiam ipſius explenda & exaturãda profunderet? ab opulẽtia gloriæ amplificatio eſt. *Cuius interi*] Hebraice cuius mediũ pauimentatũ eſt. Intelligit autem ipſa ſtragula ex purpura eſſe, quæ ſtragula acu phrigionico, & plumario opere picta eſſẽt, & variegata hiſtoriis & imaginibus ἐμψυχοῖς a puellis ieroſolymitanis. In verbo pauimentata, elegans metaphora eſt, a lithoſtrõtis. 11. *Prodite & ſpectate.*] Membrum

Membrum tertium. Deniq; quid vobis (ô amicæ) de regis mei ineffabili gloria dicam? qua per fruenda ita explebor ac exatiabor, vt in eandē cum domino claritatem sim transformanda. Cuius rei si vmbram quandam & euanidam imaginem intueri libeat, prodite & spectate regem Schelomonem, curru regali per Ieruschalaima inuectum, Corona aurea redimitum, omnibusque ornamentis conspicuum, quibus eum, mater Bath-Schebahha, die nuptiarum illius lætissimo condecorandum cohonestandúmque curauit. Quanquam schelomonis splendor, regis mei magnificentia obtuitur, non secus ac lychni flammula phœbi incenso fulgore extinguitur. Quid ergo vobis videtur tandem? vllam esse laborum aut dolorum perpessionem tantam, quæ non existimetur leuissima, si cum huius gloriæ immenso pondere comparetur? Insunt in hac parte capitis posteriori, illustres aduersus mortem consolationes, quinimo ad eam forti & Christiano pectore oppetendam, cohortationes egregiæ.

Caput quartum.

Totius corporis ecclesiæ, membrorúmque singulorum insignis commendatio 5. Pollicitatio fore, vt indies cultior exiſtat & ornatior, 6. Donec expurgata omni peccati labe, & elutis maculis quibuſcumque, ad angelicam tandem peruenias puritatem 8. Interea temporis, ne aut indignitate ſua, aut ſponſi tepore accidere putet ſponſa, vt nuptiarum dies differatur, ardores ſuos, flammas, atque adeo ignes proteſtatur ſponſus, & quos ex illa etiamdum in terris peregrinante, fructus eximios & ſuauiſſimos decerpat, exponit, ad pleniſſimam ei fidem amoris erga ipſam ſui ſummi & conſtantiſſimi faciendam, quæ res ad conſolationem conſcientiæ & fiduciæ noſtræ plerophoriam diligenter notanda eſt, 14. Poſtremò gratus tantorum beneficiorum & tam dulcis conſolationis ergo habitis, precatur ſponſa, vt quoad eius facere poteſt, ſe etiam in hac vita beet Chriſtus, & donorum acceſſione locupleret, queis ipſe ad ſuam gloriam ſumma cum voluptate fruatur, 16. Quibus votis annuit Chriſtus, ſpiritus ſancti gratias in eccleſiam abundanter profundens, ad quarum participationem comites ſuos & amicos, conuiuii ſpecie lautiſſimi inuitat.

1 *Ecce pulchra es, amica mea, ecce pulchra es, oculi tui columbini præ crine tuo, pilus tuus vt gregis Caprarum, quæ detondent de monte gilbhadis.* Sponſus.

2 Den-

2 *Dentes tui similes gregi æquarum pecudum, cum ascendunt ex lauacro, quæ omnes e gemelliparis sunt, in quibus nulla est orba.*

3 *Velut filum dibaphum labia tua, & sermo tuus decens, velut fragmen malogranati vtrumque temporum tuorum præ crine tuo.*

4 *Simile turri danidis collum tuum, ædificatæ ad armaria: de qua mil lena scuta pendent, omnes vmbones potentum.*

5 *Duo vbera tua similia sunt duobus hinnulis gemellis capreæ, pascentibus inter lilia.*

6 *Donec aspirauerit dies ille, & fugerint istæ vmbræ, ibo ad montem hunc myrrhæ, & collem thuris.*

7 *Tota pulchra amica mea, (id est nullo vitio existente in te:)*

8 *Mecum inde a libano, o sponsa, mecum inde a libano veuies, contem-*

ēplaberis a vertice Amani, a vertice ſcheniris, & chermonis, e luſtris leonum, e montibus pardorū.

9 Rapis animum meum ſoror mea ſponſa. Rapis animum meum vno aſpectu oculorum tuorum, vno torque a faucibus tuis.

10 Quam pulchri ſunt amores tui, Soror mea ſponſa, Quam boni ſunt amores tui, præſtantiores vino: & odor vnguentorum tuorum præſtantior omnibus aromatis.

11 Fauum ſtillant labia tua, o ſponſa, mel & lac ſubſunt linguæ tuæ: & odor veſtium tuarum eſt velut odor libani.

12 Vt hortus clauſus es, ſoror mea ſponſa: vt ſcaturigo clauſa, fons obſignatus.

13 Propagines tuæ ſunt malipunicæ, tanquam pomarij: cum fructu rerum pretioſarum, Cypri cum nardis:

14. Nar-

14 *Nardus & crocus, calamus odoratus, & cinamomum cum omnigenis arboribus thuris, myrrha & santali, cum omnibus præstantissimis aromatum.*

Sponsa. 15 *O fons hortorum, putee aquarum viuentium, & fluentium supra quam libani:*

16 *Euigila aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, perfluant aquæ aromata eius: veniat amicus meus in hortum suum, vt comedat fructum pretiosarum suarum rerum.*

Sponsus. 17 *Ingressus hortum meum soror mea sponsa, decerpo myrrham meam cum aromatibus meis: Comedo fauum meum cum melle meo, bibo vinum meum cum lacte meo: Comedite amici, bibite & inebriamini dilecti.*

Caput

I *Ece pulchra es.*] Habet hoc caput partes duas. Prima laudes ecclesiæ, ab enumeratione partium illustriorum & insignium graphicè depingit, ad versum sextum inchoatum vsque, atque hæc primæ huius partis partitio prima est. Deinde a sexto versu vsque ad nonum, pollicetur Christus se istas laudes illustriores multò atque ampliores facturum, quæ secunda est primæ partis dispertitio. Ab imo verò versus noni ad decimum quartum expletum, Christus amoris vehementia sui abreptus, facibúsque quibusdam inflammatus, quot & quanta gaudia ex ecclesia percipiat narrat, ad sponsæ in terris peregrinantis atque a cœlesti patria exulantis consolationem, & plenam animorum nostrorum de illius erga nos perpetua & indubitata benevolentia persuasionem. Narrat (inquam) quantam delectationem capiat, ex aspectu sponsæ, & ornamentorum illius contemplatione 9, ex amplexibus, vnguentorum fragrantia 10, sermone, vestibus suaue olentibus 11, fide coniugali 12, fructibus & officijs iucundissimis 13, 14, quæ primæ partis tertia postremáque distinctio est. In secunda parte principali, ecclesiæ oratio est spōsum suũ vicissim laudantis, illa omnia bona amplissima illius vnicæ clementiæ accepta referentis 15, illius opem, præsentiam, promissio-

num repræsentationem, quod eius in hac vita fieri potest imitatoris comprecantisque quam orationem exauditam esse respondet Christus, comitésque suos ad lætitiæ communionis & tantorum bonorum communionem participandam excitat. 1 *Ecce pulchra es.*] Vidimus superiori Capite sponsæ fortitudinem in subeundis laboribus, in contemnendis periculis magnanimitatem, crebra in cœlum suspiria, altos gemitus, vt sponsi sui vultu & complexu in gloria illa inæstimabili tandem potiatur. Sponsus vt hæc omnia officia sibi gratissima acceptissimaque esse testatur, & vt quàm charam animo dilectam sponsam habeat, quantique eam semper fecerit, quanti eam semper sit facturus ostendat, hoc capite suum in eam mutuum amorem, in vicem protestatur, nuptiarúmque tandem consummandarum suum summum desiderium indicat. Atque ad amoris sui magnitudinem declarandam, exorsus ab ecclesiæ totius pulchritudine absoluta, ad singulorum membrorum laudationem exquisitam dilabitur, amatores prophanos imitatus, qui Dominarum suarum dotes & elegantias decantant, vt vim amoris quo æstuant declarent. Facit hoc etiam non mediocriter ad consolationem nostram, cum legamus laudes nostras eius penicillo depictas, cuius oculis placere nulla nisi diuina forma potest. Hæc autem pulchritudo primùm

qui-

quidem in Christi puritate nos inumbrante atque conuestiente consistit, deinde in sancti spiritus ornamentis in nos opulentè profusis, quæ tametsi in hac vita, longè a perfecta illa mensura quam lex diuina & creationis nostræ integritas exigit absunt, tamen dum ille & quod abest clementia dissimulat, & quod adest boni consulit pro bonitate sua sola, & pro corruptione & deprauatione naturæ nos nostræ non damnat, perinde est acsi ita puri essemus vt poeta canit.

Nullus in egregio, corpore næuus erat.

Oculi tui columbini.] Hoc necessariò hîc præfandum est, has laudes cunctas insequentes, non modò ad vniuersum ecclesię corpus, propter varia & distincta membra varijs & diuersis functionibus distributa, ideóq; suis quæq; proprijs virtutibus laudibúsq; ornata pertinere, sed etiam ad vnumquemque nostrum priuatim, propterea quòd sponsa Christi quisq; sumus, oculósq; & dentes & pilos & vbera habemus omnes. Sed de totius corporis variis membris, membrorúmque singulorum virtutibus primùm, postea qua ratione quisq;, istarum omnium laudum congeriem, quasi sibi propriã vẽdicare potest, proprio deo dicemus, idq; rectè & ex spiritus sancti sensu facere vt possim illius lucem & robur & opem ex intimis præcordijs in animam nostram inuocamus, eum ex cœlis summis ad nos demitti precantes a

cœlesti patre nostro, interuentu Iesu Christi seruatoris & mediatoris nostri vnici, cui cum patre & eodem spiritu Doctore & præceptore nostro, sit laus & imperium in omnem æternitatem. Amen. Illud ante omnia præmonemus, scopum spiritus sancti perspicuum esse, tametsi forte in nonnullis aberremus. Proposita namque ob oculos nostros fœmina formæ egregiæ & diuinæ, qua homines plerumque inflammati abripiuntur, ostendit, & quãto nostri amore Christus ardeat, & quam de nobis opinionem existimationémque habeat. Oculi igitur pastores animarum & politici magistratus sunt, qui pro authoritatis suæ luce, & dignitatis eminentia, reliquum corpus, & a malis prudentia præcent, & commodis necessarijs instructum curant, & membrorum omnium saluti, sua sollicitudine & vigilantia prospiciunt. Quorum summam authoritatem, grauissimum munus, maximoperéque necessarium, gemini humani capitis tanquam μίκρα κοσμου solos, & insigni laude commendant & exprimunt ingeniosissimè. Sed oculi columbini esse debent, in vtróque primum & magistratu & pastore, dei timore casti & amore gratiosi, deinde mites in magistratu, nec leonina ferocia truculenti, & in ecclesiæ prefectis nec vulpini nec lupini, sed humanitate, modestia, simplicitatéq; innocui.

Præ crine tuo] Id est prostant & prominent oculi præ crine, modestè & pudicè compositio, & reducto ab oculis, non autem proiecto

iecto & extuberante quod impudicarum & ſuperbarum eſt. Quibus verbis & figura ſignificatur, cum totius eccleſiæ corporis, tum oculorum modeſtia & animi demiſſio. In oculorum etiam allegoria, magna piorum paſtorum, magna bonorum magiſtratuum conſolatio eſt, cum cernant quanto in honore apud Chriſtum ſunt, quanto eccleſiæ ornamento & adiumento, videant modò, vt non ſolùm corpori oculorum vſum præſtent, ſed etiam tanquam clariſſima lumina luceant. *Pilus tuus*] De littera primùm dicamus, quem ſenſum imò etiam verba a Themelio & Iunio habemus. *Gregis capræ.*] Id eſt vt inquiunt illi comptiſſimus, & nitidiſſimus, provt eſt in Capris benè paſtis & curatis. *Quæ detond.*] Id eſt quæ virgulta decerpunt loco ſibi opportuniſſimo. Iam de ſenſu. Caprina canicies in muliebri forma patùm accommodata videtur, in politeia eccleſiæ maxima dignitas eſt, vt vel hinc clariſſimè redarguantur, qui nihil hîc niſi impudicos ipſius amores, cum filia parhhonis a ſchelomone decantari arbitrentur. Conſilium ſenatorium in repub. presbyterium autem & ſynedrion, in adminiſtratione eccleſiæ, præſpicuè declarat iſta allegoria. Nam quòd gregem Capratum ait, eo forſan reſpexit, vbi non ſunt conſiliarii impingere populum, in multitudine autem conſiliatorum ſalutem exiſtere. Prouer. 11. 14. Iſta Canities illud profecto denotat, coronam eſſe

dignitatis senectutem, quæ in vitæ puritate reperiatur. Prouer. 16. 31. Quæ sententia de omni senectute perscripta, in eos præcipuè quadrat qui aut reipub curam gerunt, aut ecclesiæ censuram, annis prudentiaue graues administrant. Nam vita inculpata cum senili prudentia coniuncta, tametsi fortè annorum numerus desit, ea demum, dicta canicies est.

2. *Dences tui simil.*] De litera ita Tremelius & Iunius. Dentium triplex laus significatur. Prima, omnium inter se æqualitas, tanquam oues æqualis staturæ, secunda nitor, tertia perfectus & absolutus numerus, duobus ordinibus dentium inter se respondentibus. *Quæ omnes gem.*] Id est tam similes inter se, & conuenientes superior dens cum inferiore, quàm fere conuenit inter gemellos. *Nulla est orba.*] Id est nullus dens desideratur, in suo ordine, vt cùm gemelliparæ cuique oui, sui agni adsunt. Hæc illi. Doctorum ecclesiæ imago est aperta & facilis. Quis enim non videat ad horum officium pertinere, vt verbi cœlestem panem, vitalem nostrum cibum comminuant & permolant, atque in ecclesiæ viscera prælitum trajiciant? Illud illis Curæ debet esse summæ vt doctrinam æquabili animorum conspiratione tradant, quasique ad æqualem mensuram & eandem amussim exigant, id enim hhe-

hebraicum verbum postulat, & hæc comparatio, grex æquarum ouium, id est eiusdem staturæ. Deinde id curent, vt vnanimes in omnibus rebus sint in domino. Quòd ascendunt ex lauacro, vitæ sanctitatem & niueos mores declarat, vt cum nullus reipub Christianæ status non innumeris maculis respersus sit, in episcopi ad apostolicam regulam composita vita putissima, ne nævus quidem inesse debeat. Quòd gemelliparis ouibus comparantur pastores, declarat verum Pastorem sterilem esse non posse, imo in fœtura gregis fœcunda & fœlici omnem illius oblectationem & thesauros gazásque esse. Vbi sunt illi nunc mercenarii, qui nec gignunt agnos, nec alunt, nisi forte semel aut bis in anno, idque vt scænæ inseruiant faciunt, nec quicquam illis cordi est præter honorem, & opes & ventrem? Deinde quod supra admonuimus summa animi consensione doceant pastores, & Charitatem mutuò colant, vt tanquam fratres germani, imo gemelli, cor vnum & anima vna sint. Quòd nulla harum ouium est orba, significat, non solùm neminem a sua cura & grege abesse debere, sed etiam ecclesiam pastoribus orbatam perinde esse, ac si os dentibus mutilatum sit. Tum enim congregatio nec fari potest, nisi forte balbutiendo, nec cibum mandere nec nutrire membra, ex quo non modò totius oris ac vultus deformitas fœda, sed vniuersita-

eis etiam membrorum atrophia & tabes certâque pernicies exiſtit. 3. *Veint filium diba*] Egregius certè formarum ſpectator ſchelomo, ſed admirabilis artifex creator, qui iſta omnia non modò ad admirationem pulchritudine, ſed ad ſtuporem quoque vſu & commoditate ſua ſumma ſolertia fabricauit. Intelligit parua, rotunda, rubentia labia. Illud hîc animaduertimus, hæc encomia plerumque omnia, ad eccleſiaſticum ordinem & miniſterium pertinere, ſed alia & alia conſideratione, prout illorum officiũ varium & multiforme ſit. Quòd corpori proſpiciunt lumina ſunt, quòd cibum vitæ æternæ nobis comminuunt dentes, quòd lacteos ſacrorum oraculorum mellcósq; fontes magno zelo & ſincero affectu recludunt, maximâque ſuauitate diuinæ eloquentiæ in mentes hominum ita influunt, vt eas torqueant, rapiant, immutent totas, labia. Deinde quòd interpretes ac internunci inter Deum & homines, illum ſuis blanditijs & lenocinijs ſic mulcent, vt ſiue illius auertenda ſit ira, ſiue clementia & miſericordia flectenda, orationibus ſuis illi pro ſuo arbitratu imperent. Hoc enim illud eſt, & ſermo tuus decens ſiue vt Hieronymus habet gratioſus eſt. *Velut frag.*] Vtrumque temporum tuorum, cum genis videlicet ſubiacentibus, quæ genæ pari & conuenienti rubore decoratæ ſunt & malogranati fragmentũ referunt. Hij ſunt qui nullum munus in publicis chriſtianorum cœtibus obeunt, ve-

rum

rùm tamen, ordine & gradu suo locati, fide viua vegetantur a spiritu communi, & charitate rosea saturatæ lucent, pastoribúsque adherentes, & in domino seruientes opémque ferentes, totius corporis, atque adeo oris venustatem mirificè commendant. *Præ crine*] Id est modestè de se sentientes, non insolenter se efferentes, & pudicitiam mentis pura conscientia conseruantes. 4. *Simile turri*] Id est, collo erecti, venustissimo, & rebus pretiosis instructissimo, sicut est turris illa eminentissima Ieru chalaimorum, quæ a Dauide extructa fuit, in cliuo miktzoahh, pro armamentario ad atrium custodiæ. *Ad armaria*] Vbi apponebantur arma acuta, polita, & comparata ad vsus necessarios, quod compositio vocis Hebræa sonat, & sequentia verba interpretantur. *Potentium*] Id est ducum imperium habentium in regis copias. Hæc omnia illi. Vt pastores pace, plebes suæ fidei commissas salubribus cibis & cœlesti alimento nutriunt, sic bello, telis ex sacro scripturarum armamentario depromptis, omnium irruentium hostium, siue domestici siue exteri illi sunt, impetus facilè sustinent. Hæc diuina illa pauli panoplia est, qua armati ministri omnes munitiones subuertunt, omnes ratiocinationes, omnémque sublimitatem quę extollitur aduersus cognitionem dei debellantes, & captiuam ducentes omnem cogitationem ad obediendum Christo, paratúmque

que habentes quo vindicent omnem contumaciam, postquam obedientia electorum impleta fuerit. 2. Corint. 10. 7 & deinde sequen. Hac causa collum ecclesiæ nominantur, & cum armamentario inuictissimo conferuntur. Alio qui inuicta martyrum animi magnitudo, & generosa fortissimorum militum virtus non obscurè hîc intelligitur. Hij sunt qui se tanquam murum pro ecclesia dei opposuerunt. Hij sunt qui nullis armis, nullis copijs, nullis præsidijs humanis instructi, fide solùm & optima conscientia freti, immanium tyrannorum barbaram sæuitiam sua patientia superarunt. Hij sunt qui Dei leges, sacros ritus & cerimonias, conscientiam suam ad verbi normam exactam, vita & spiritu antiquiora habuerunt. Hij sunt qui tanquam rigidum & inuictum ecclesiæ collum, labantem & ruentem Christi ædem, sua ipsorum ceruice fortiter suppositâ, sæpè sustulerunt. 5. *Duo vbera*] Hæc vberum cum hinnulis comparatio, nihil aliud nisi similitudinem & paritatem sibi vult, hoc sensu, vt mamma mammæ tã par sit & æqualis, quam hinnulus sit similis gemello fratri. Hæc gemellorum autem, etiam in hominibus similitudo tanta est, præsertim pueris, vt vix a parentibus quoque discernatur. Præterea hinnuli optimo loco & suauiter pasti, ecclesiæ vbera lacte puro semper esse plena & distenta indicant. Admiranda est illa numinis prouidentia, in fœminei sexus structura, & cùm reliquorum membrorum, tum vberum præcipuè vsu, quòd concep-

to augescentéque fœtu, lacteo succo turgescant, edito autem, plenis riuulis manent, vt quoniam propter nimiam teneritudinem, tenellus infantis stomachus solidiora alimenta concoquere nequeat, vitales illos materni sanguinis consuetósque liquores, tantisper dum grandescat hauriat. Hij prophetæ sunt in ecclesia Dei, qui populares animos promissionum diuinarum dulcedine rigant, siue ipsi spiritu prophetico futura prædicant, vt temporibus apostolicis, siue prophetarum vaticinia, luce eadem qua prophetæ scripserunt collustrati, nobis recludant, quod munus in ecclesia perpetuum est. Deinde catechistæ, qui puerorum & ignarorum rudes mentes, puerilis institutionis præceptis imbuunt, & quasi lactant, dum grandiusculæ euadant, adodoletcantq; in Christo. Tanquam infantes inquit paulus in Christo, lactis potu vos alui, non esca, nondum enim poteratis id ferre, imo ne nunc quidem adhuc potestis. 1. Corinth. 3. 2. Prophetæ caueant, vt ex ore Domini loquantur, & in amænis spiritus sancti lilietis pascant ipsi, ecclesiámque puro & suaui pabulo alant abundanter, catechistæ etiam, vt quod ex verbo Dei scripto didicerint (nam non scriptum verbum nullum habemus) id solummodo doceant, & in scripturarum rosarijs spatientur. Hæc habui quæ de insigniorum sponsæ membrorum interpretatione, ex fidei analogia, & scripturarum sensu dissererem. Iam vero quantum nobis

Domi-

dominus dederit & aperuerit, qua ratione vnusquisque nostrum vniuersas istas laudes tanquam sibi proprias asserere & vsurpare debeat, quatenus sponsa Christi est videamus. Ne dicas mi frater christiane, oculus non sum. Quis est enim omnium, cui aut liberi aut familia, aut publica aliqua priuatáque procuratio non sit? Quòd igitur pastor gregi debet, debet autem & de cibo cœlesti prospicere, & illius æternam salutem quod in se est procurare, hoc ipsum tuę tu familiæ debes. Deinde vide ne animus tuus luminibus captus sit, Math. 6. 22 Ne rem vllam inustã aut inhonestã tibi ob oculos proponas, Psa. 101 3 Sit oculus mẽtis tuus & modestia dirigatur, & sinceritate cãdidus ac simplex, & quod huius loci proprium est in dei & timore castus & amore gratiosus & amabilis. Dens inquis nõ sum. Omnis igitur honos iste & onus ad sacerdotes pertinet nõ ad me. Ast animũ tuum curis huius mundi fluxum & exhaustũ sacra lectione repara re & reficere debes. Ast domesticos tuos abrahami exemplo in Iustitia & iudicio docere & pascere. Genes. 18. 19 Ex synedrio fortè non es. At sanè censor morũ domi tuæ es, peccantésq; obiurgari ibi te conuenit, & probitatem laudari, omnes officii sui Christiani admoneri & ad rectè facta extimulari, postremò præfractos & desperatos ex domo tua tanquam ex ecclesia, authoritate tua eiici. Ita fiat vt vnusquisque, episcopus domi suæ sit quod augustinus, alicubi præclarè admonuit. Dein ad senilẽ pru-

prudentiam,& Christianam grauitatem mores te tuos,omniáq; consilia & actiones par est com ponere. Nam de ceruice animi nostri quid dicã? quam neque rebus ad voluntatem nostram fluentibus efferri insolentiùs deceat, neque fatis reflantibus conflaccescere. Quod si ex altera parte ignis,gladius,restis deartuatio proponatur,ex altera fides,religio,conscientia animum sollicitent, flaccidi & muliebris colli est,vtrò potius sit inclinandum vel dubitare. Quod tamen per omnem vitam meditandum est, multisque & continentibus precibus a domino emendicandum, vt nobis detur non solum vt in Christum credamus, sed vt illius causa quoque, omnia aduersa atq; etiam mortem ipsam constanter perferamus. Ita laus ista fortitudinis in ecclesia ceruicis instar sustentanda,in nos vetè competet. Illud demum Christo quàm gratum est? te tuis vsum & commoditatẽ vberum præstare,vt abs te Iuuentus tua veræ pietatis lac exugat,vt pueri tui ex mammis tuis nectareos Christiani catechismi rivulos emulgeant,vt domus tua tota & in rebus prosperis ad moderationem,& in aduersis ad patientiam erudiatur. Qua in re, imo in ista tota domestica disciplina, supra quàm dici potest, (propitius nobis sit dominus & veræ resipiscentiæ fructus concedat) segnicie & torpore peccamus omnes. Atque Hactenus de primæ huius partis sectione prima,si non obscura,molesta sanè ad explicandum, sed doctrinæ & vtilitatis &

con-

consolationis tum publicæ tum priuatæ plenissima. Si enim hoc Christi de ecclesia, imo de nobis singulis iudicium est, quid est quod nos perterrefaciat? quid cauſæ est, cur non & læti viuamus in domino, & tranquilla mente obeamus? præsertim cùm is vnicus hic sit spiritus sancti scopus, idipsũ animis nostris vt inscribat, inſculpat, adeóque infigat, nempe iusticiam gaudium & pacem in spiritu sancto? 6. *Donec aspiran.*] Hæc est secunda distinctio huius primæ partis tribus versibus definita, duas Christi promissiones complexa. Alteram de vberiore ipsius in ecclesiam & copiosiori benedictione in dies singulos ex præsentia sua perpetua, quamdiu in hoc mundo peregrinamur a domino, hoc versu: alteram de peccatorum omnium remissione, ablutionéque perfecta, non imputatione vt nunc fit, sed reipsa præstanda, exterſis omnibus maculis, & rugis cunctis in vniuersum emendatis, præterea de gloria cælesti adipiscenda, quæ promissio in futura vita exoluetur, duobus versibus sequentibus. In hoc versu assimilatur ecclesia monti, propter immotam inuictámque solidicatem, altitudinémque omnia humana transcendentem & despicientem, arboribus pretiosissimis & odoratissimis conuestito, propter homines in ea plantatos & spiritus Christi suiui succo, tanquam humore nutritos & vigescentes, quæ nostra vita spiritualis est, eámque fragrantiam quam a Christo hau-

hauserunt, latè spirantes. Ad hunc montem nempe vniuersalem ecclesiam,& collem,ad est congregationem quamque particularem, tam iucundis & suaueolentibus arboribus consitum se velle ire,ac perpetuò illic habitare Christus pollicetur,ex cuius præsentia,spiritualium omnium charismarum abundantia promittitur, donec suprema illa dies,omnem illam quę offusa est mentibus nunc nostris dispulerit caliginem. 7. *Tota Pulch.*] Hoc est.Desiderio cœlestis patriæ,nuptiarum perficiendarum ardore,huius exilii tędio te coniectam esse superiorum capite deplorasti. Ego quidem istis curis æquè ac tu discrucior, moráque ista mihi odiosa est,sed partim ista tua culpa est ex peccato contracta,partim tuæ multæ partes adhuc dispersæ ac dissipatæ ad fidei vnitatem, & in corporis tui societatem conuocandæ cooptandæque sunt. Itáque tua etiam magnopere interest, paucis diebus tua vota & optata differri. Sed cùm te a peccatorum tuorum omni vel minima labecula abluero, cùm rugas tuas cunctas næuósíque expunxero & erugauero:

8. *Mecum inde.*] Cùm te ex omnibus tuis remotissimis finibus,ex omnibus mundi plagis tuas partes omnes ad te congregauero, tum demũ ad cœlum te, ad beatum nuptiarum diem assumpsero.Inducit autem Ichelomo hic Christum, hypotyposi non inuenusta,regni sui fines omnes inuisentem, & prouincias omnes imperii

imperij immensi, Sub figura terræ sanctæ obeuntem, electósque omnes suos ex vltimis orbis terrarum finibus euocantem & colligentem, eo consilio vt cernamus quàm latè Dei regnum in terras omnes pateat & propagetur, fratrúmque nostrorum adunationem & congregationem patienter expectemus, deinde vt consideremus, ex quantis periculis, quàm feris & sæuis nationibus collecti simus, ex ipsis satanæ faucibus tanquam rabidi leonis rictibus erepti. Quæ meditatio & illius infinitam erga suos clementiam in memoriam reuocat, & mentibus nostris gratitudinem imprimit. Schenir pars est chermonis, quanquam chermon alio nomine schenir alicubi appellatur. Chermõ ad orientalem plagam vltra Iardenem situs est Deut. 3. 8. 9. Amanus cilicium a syria ab aquilone separat. Libanus Iudææ septentrionalem partem claudit. ℣. *Rapis animũ meum.*] Hęc est tertia huius primæ partis distinctio, quę quidem aptè & commodè secari non potest, quòd ex multarum partium quasi congerie constet, qua recenset Christus, quot & quantos fructus ex sponsæ suæ amore decerpat. Est autem tota consolatoria, ad exilii nostri solatium eximium & conscientiæ nostræ terrores pacandos & sanandos egregiè comparata. Amorem enim suum summum, certum & exploratum, constantem & perpetuam benevolentiam, charitatem immensam erga nos, in omnem

nem perennitatem perduraturam, tantis verborum luminibus, tanta sententiarum grauitate, tanta affectuum intimorum vehementia depingit, vt neque de illius dilectione dubitare, neque ob conscientiæ nostræ pauores trepidare vllo pacto debeamus, vsque adeo, vt has illius promissiones, (quot enim laudes & quas nobis ascribit, tot pactiones nobiscum de illius in nos æterna beneuolentia sancit & constabilit) nobis in hunc vsum factas, omnibus satanæ criminationibus, quibus nos incusat, refellendis opponere tutò possimus, & ad Dei tribunal securi consistere, imò etiam ne Deus nos in iudicij pertrahat, & pro meritis damnet, hijs tabulis constanti eius & infallibili veritate obsignatis causam nostram agere. Est illud quidem verum, nemini hoc ius competere, nisi ijs solis qui omnes suas spes & opes in Dei vnica misericordia collocarunt, qui Iesu Christi solius obedientia & satisfactione solummodo nituntur & acquiescunt, qui ita sibi, & affectibus suis, & huic mundo renunciarunt, vt de optimæ conscientiæ testimonio glorientur, qui ita denique viuunt, vt eor eorum ipsos non reprehendat. 1. Iohannis 3, 20. 21. Sed tamen quia regeneratio nostra nondum perfecta est, quatenus autem imperfecta est, caro bellum gerat cum spiritu, ex quo conscientiæ sequuntur horrores, deinde quia venundati peccato, multa pro imperiosissimi Domini libidine inuiti & quasi coacti facimus, (quod enim volentes obtemperamus

eo & immanior est tyrannis, & miserabilior seruitus nostra) fit, vt scelerum nostrorum magnitudine perterrefacti, ad diuinæ clementiæ nobis hijs pactis & promissionibus, parce factæ & confignatæ asylum confugiamus & in ea tola securi delitescamus. Ac primùm quidem de duorum horum vocabulorum inexplicabili dulcedine disseramus. *soror mea, sponsa*] In sororis, intimæ germanitatis appellatione, hoc discimus, non solùm fraterno eum amore nos prosequi, (quod ipsum accidere nonnunquam inter eos possit, qui sanguine inter se coniuncti non sunt) sed etiam cum caro nostra atque os sit, germanæ sororis loco & affectu ecclesiam sentiri, id est nos habere. Quæ autem soror est, quæ non de fratris optimi & amantissimi liberalitate atque humanitate omnia sibi spondeat? Atque hinc etiam humanam christi naturam agnoscimus, & officij in eum nostri admonemur, qui cùm deus esset æternus, semetipsum exinanuit forma serui suscepta, vt frater noster esset, & nostram in se fiduciam, naturali etiam sanguinis coniunctione, eademque intima confirmaret. Hebræa. 11. 12. & sequentibus. Quod ipsum quanquam tantum ponderis habeat, nihil vt addi posse videatur, tamen quia diffidentia & pauore pleni sumus, adiecta est sponsę cognominatio, vt ex eo vinculo quo nullum est in humanis rebus dulcius, familiarius, amantius, arctius, de dei in nos infinita bonitate certissimi efficiamur. Nam omnia a maximo amanter,

ter, audacter,& familiarissimè petimus, neque vllam pati repulsam potest coniugalis amor & dulcissimæ necessitudinis sanctissima iura. Quin imo tametsi tu non petis (quod accidere non potest) non potest tamen ille,pro charitatis suæ ardore inflammato & matrimonii lege non violanda non tibi vltro deferre quæ ad te ornandam & excolendam pertinent vniuersa. In hac itidem voce, deitatem Christi adoramus, ex eáque euincimus & demonstrari euidentissimè,asseuerauimus. Quid dicis Iudæe?non est Christus deus? non est. Quid ais sacrilege? non est Schelomo, Christi typus clarissim'? nónne illius matrimonium cum ægiptii regis filia,huius cõiugium cum ecclesia prefigurauit? annon istarum nuptiarum sanctissimarum & castissimarum,hic totus liber epithalamium est? perfrica frontem & nega, tametsi quæ tua erit impudẽtia,lucere solem meridie negare? Quid deinde? quid deinde sceleste? num potest res vlla creata ecclesiam sibi in matrimonium expoſcere? & diuinæ maiestati suam gloriam præripere? & ab ecclesia amorem ex toto corde, toto animo ,tota mente, totis viribus exigere? perlege Ezech. 16. & infinitos alios in biblijs locos,vbi mariti nomen & honorem & officium ita vendicat sibi Deus, vt creaturas omnes ab eius dignitate remoueat. Quid quòd Zelotypiam suam minimè dissimulet, si illa alienis amoribus & exoticis indulgeat? Quid quòd alienos deos colere

nihil aliud ſit, quàm maritum alium quemcunque vel in cœlis vel in terris vel in inferis agnoſcere? Non cernis iſta tua theologia, te chriſtum raptorem, dei coniugis oppreſſorem, adulterum ſceleratiſſimum facere? eccleſiam autem, quæ chriſtum ſponſum agnoſcat & amplectatur ſcortum impudentiſſimum dicere? Denique vt te planè conficiam beſtia, quis poſſet tanta eccleſiæ ornamenta, & ad hanc vitam & ad futuram pertinentia polliceri, quanta hîc Chriſtus ſuo nomine & fide ſpondet niſi deus? Quis amorē iſtum ſummum & amoris ſummi officia omnia ab eccleſia reſtipulari niſi deus? Quis capite ſequenti viuis ab eccleſię colorib' depingitur niſi deus? at idem chriſt' eſt & eccleſię ſpōſus. Eſt igitur chriſtus deus. I nunc perfide & nega ſi audes, in Pſalmi quadrageſimiquinti, verſu ſeptimo elohim, & duodecimo adonai, dei ipſiſſimam maieſtatem declarare, nega dei incarnati myſterium ſchelomoni cognitum fuiſſe. Denique qui habet ſponſam ſponſus eſt, amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem & honorem ſponſi, iohan, 3, 29. Aſt Chriſtus non ſe pro amico ſponſi, vt illic Iohannes, ſed pro ipſo ſponſo & in hoc loco & toto hoc Cantico gerit, nemo autem ſe ſponſum eccleſię dicere audet niſi qui deus ſit, eſt igitur Ieſus Chriſtus Deus benedictus in ſecula. Amen.

Roman. 9.5. *Rapuiſti animum.*] Iam verò quis huius verbi vehementiam explicet?

eet? & reduplicatę orationis vim? Quod Tremelius rapis, alius fascinas, alius transfigis, septuaginta excordasti, alius vulneraſti, omnes ſingularem quandam emphaſin exprimere voluerunt. Sed quî poteſt is affectus & animi perturbatio in deum cadere, quæ ipſos homines plerumque dementare ſolet? Qui iſta omnia humanitus Deo attribui dixerit, vt illius infinitus in nos amor & æternæ charitatis certa perſuaſio, euulſis omnibus dubitationis & trepidationis fibris animis noſtris implantetur verè & ſcitè reſponderit. Nam cum ille amorem ſui in mentibus noſtris ſerit & incendit, & gaudio nos ſpiritali exatiat, tum demum ille lætari, & voluptate deliciari, & geſtire dicitur, quaſi noſtra fœlicitas illum delectatione afficeret, cuius gaudiis & oblectationibus ſempiternis, nihil addi poſſit, nihil demi. Itaque illius fœlicitas & beata vita in creaturarum conſeruatione & beatitate exeritur & explicatur & demonſtratur, Pſal. 104. 31. Præcipue autem in hominibus ſanctificandis & beandis, ipſa verò nec acceſſione amplificari, nec deceſſione imminui poteſt, nec vlla vnquam affectione immutari. Ita etiã in impiis vlciſcendis, iuſtitia ipſius oſtenditur, quos ſpiritus ſui luce & robore ob ipſorum ingratitudinẽ ſpoliat, deinde cæca & furenti mente omnia diuina & humana peruertentes meritis ſuppliciis coercet. Hinc in eos iraſci & furere & odio capitali odiſſe humano more & affectu putatur. Denique illius

amor & oblectatio cum ad res creatas refertur (amat enim se ipse amore singulari & suis bonis etiã in creaturis fulgentibus mirificè delectatur) nihil aliud est quàm illius summæ & sempiternæ fælicitatis, in creaturis oblectandis & beatificandis declaratio, odiũ autem, illius iustitiæ in iniquitate plectẽda explicatio. Quæ animad uersio & diligenter ad hunc locum explicandũ reliquásq; & sequentes & præcedentes animi humani affectiones deo attributas, notanda est, & in similibus sacræ scripturæ figuris elucidandis non erit inutilis. *Vno aspectu, vno torque.*] Hoc est, video te indignitatis tuæ conscíam, pauidam adhuc esse, nec oculos attollere ausam. Sed tamen quòd subinde ad me respicis, quòd interdum vultum meum vnico defigis tremulóq; aspectu gratissimum est, atq; pudibundo isto obtutu, cor meum transfigis. Quòd si aliquando pudoris oblita rustici, amoris flammas ex oculis eiacularis, tum sanè spiculis istis transfodis me, & animum meum furiatum saucias. Vides te non satis ornatam, atque ideo refugis conspectum meum, & extimescis, quin tu ineptias istas & odiosum timorem semel valere iubes, cùm ornamentorum tuorũ vel vnica torque adeo places, vt mihi mentem omnem eripias? Hic ergo primus est quem capit Christus amoris sui e nobis fructus.

10 *Quam pulchri sunt.*] Secundus est ex amplexibus spiritalibus. Primùm obserua verborum & figurarum lumina, Soror mea, sponsa,

si, exclamationem patheticam, orationis reduplicationem, quàm pulchri sunt amores tui, Quàm boni sunt amores tui, ad fiduciam nostram corroborandum vniuersi. Sensum autem elucidaturus secundo huius libri & tertio versu. Quemadmodum enim in eo loco, ecclesia suauitate amorum sponsi sui abrepta, eos ob inexplicandam spiritus iucunditatem, qui horum amorum conciliator, & ipsorum amplexuum purissimorum vinculum, ncxúsque huius coitionis castissimæ est, conuiuii lautissimi & deliciosissimi (conuiuiũ enim synecdochicè ex vino intelligimus) comparatione, cõmendauit: Sic spõsus hic congressũ suum cũ ecclesia vxore matrimonialem ita effert, vt cum eo nullæ ciborum lautitiæ, nullus nectaris succus, denique nulla aromatum aut vnguenti fragrãtia conferri possit, cum suauitate spiritus quo delibuta & inuncta sit. In illis autem verbis quàm pulchri sunt amores tui, ostendit, nihil hic turpe, nihil fœdũ, obscœnum nihil intelligendum esse. II. *Fauum stillat*] Tertius amoris fructus colloquiũ est. Id autẽ suo ex labijs destillãti, melli & lacti ex lingua mananti confertur. Huius affectus magnitudo ex pellacissima meretricis oratione intelligi potest Prou. 7. lege locum. Nam nostris sermonib' itase vinci, flecti, ac duci significat, quẽadmodũ mẽ retricijs blanditijs & lenocinijs iuuentus incauta fascinatur. Hæc autẽ promissio, cùm in omnibus de deo & diuinis rebus, disputationib', cohortationibus, concionibus, prælectionibus lucubrationibus nostris, nobis singulari debet

esse solatio, tum verò suauitas ista spiritꝰ, præcipuè inter orandum mirificè se explicat. Ea enim dulcedine in orantium animos se diffundit, vt lactis mellisque saporem omnem infinitis partibus superet. Nam frustra illud iterum monerem, cum nos spiritus sui iucunditate oblectat, & suauitatem naturæ suæ nobis patefacit, tum demum se, mellitissima perfundi voluptate, intelligi velle. *Odor vestium*] Alius hìc fructus est, vestium suaueolentium fragrantia. Ea autem libano monti & syluæ assimilatur, quo nihil ob arborum preciosarum iucundissimos halitus est odoratius. Indumenta ista sunt, quæis a paulo, veteri endromide exuta, vestiri iubemur, quæ spiritus a quo ea accepimus suauitatem redolent. 12 *Vt hortus clausus.*] Quintus amoris fructus, fides thori & coniugalis castitas, quæ duabus similitudinibus figuratur, horti clausi, & scaturiginis fontisque obsignati. Illud quidem vetus est, incredulitatis ac idololatriæ radices omnes, nondum esse ex animis explantatas nostris, Sed Deus nos in Christo respiciens, ingeneratam vitiositatem illius puritate obtegit, suà ipsius dona in nos ornandos effusa contemplatus, reliqua quæ nostra sunt, pro æterno suo in nos amore dissimulat ac negligit, per seruatorem nostrum Iheſum Christum, in quo etiam illa ipsa dona inchoata verius quàm absoluta grata acceptáque habet. Hijs igitur cogitationibus & amplissimis istis promissionibus, quæ laudes

laudes noſtrę & gloria ſunt, deſperationi obluctandum, cum illa mentis noſtræ arcem quatit tormentis ſuis. Admonetur etiam eccleſia hijs metaphoris, admonemur omnes officij noſtri, vt fidem coniugij Chriſto datam ſanctiſſimè obſeruemus, deinde vt illius beneficiorum magnitudinem, quæ horto culto & feraci: fonti perennibus aquis ſcaturienti comparantur, (nam ſpiritus ſanctus in nos copiosè effuſus hijs ſimilitudinibus aptiſſimè repræſentatur, propterea quod & cibum in vitam ſpiritalem ſuppeditat, & potum irrigandis animis noſtris) illius inquam beneficiorum magnitudinem grata mente expendentes fructibus a domino acceptis, illius familiam alamus, aquis ab illo in nos promantibus iugiter, illius gregem adaquemus, noſtræque fidei mandatos, affluenter humectemus omnes. 13. *Propagines tuæ.* 14. *Nardus & crocus,*] Hęc horti allegoria duobus verſibus hijs ſequentibus amplificatur, quos idcirco coniunximus. Quidni te horto inquit conferam? Imo vero nullum pomarium, nullus paradiſus tecum pro fructuum & plantarum tuarum præſtantia rara contendere poteſt. Arbores tuæ omnes, mali punicæ, fructus tui & plantæ omnes precioſiſſimæ, Cyprus, nardus, nardus inquam & crocus, calamus odoratus, cinnamomum, myrrha, ſantali, omnes denique odoratæ arbores, omnia præſtantiſſima aromata. Ita enim perſpicuitatis cauſa ὑποτλοκὴν traducimus, ne quis

cro-

crocum plantulam, nardum fructicem, cyprum, calamum, cinnamomum ad arbuſculas thuriferas, id eſt odoratas referat, myrrham & ſantali non referat, ſed inter aromata, hæc duo locet, illa ſuperiora non collocet. Intelliges enim in hoc paradiſo, primùm omnes raras arbores fructiferas, ſecundo omnes plantulas præſtantes & ſuaues, poſtremò arbuſculas aromaticas inſignes vniuerſas. Hæc autem cuncta, ſuauitatem diuinam ſpiritus Chriſti, & illius ambroſios ſignificant odores, ſanctificationiſque noſtræ ſemina cœleſtia, præterea opera & fructus fidei noſtræ, quibus nihil nec mentibus noſtris iucundius, nec conſcientijs lætius, nec diuinis naribus gratius. 15. *O fons horto*] Hæc eſt ſecunda pars capitis præcipua, ex oratione conſtans 15. & 16, & diuino oraculo exauditam eſſe orationem, 17. Oratio autẽ gratiarum actionem cum petitione coniunctam habet. Sponſa itaque tantorum beneficiorum, tam excellentiſſimarum promiſſionum, tam ſuauiſſimarum conſolationum nomine gratias ampliſſimas agit, verbis & figuris ex ſponſi ornatiſſima oratione ſuperiori, mutuò acceptis. Méne fontem, méne ſcaturiginem nuncupas mi ſponſe? Agnoſco te iſtas laudes ex clementiæ tuæ æſtimatione, & immenſo erga me amore potiùs, quàm ex dignitate mea aut donis præſentibus metiri. Non quod tuam munificentiam verbis extenuem, ea enim tui ſpiritus abundantia affluo, vt ex me tanquam

fonte,

ſonte, flumina exeant ad alienos etiam vſus, ſed quod longè iſtarum laudum amplitudini imparem me ſentiam. Quanto in te iuſtiùs iſta encomia redundant omnia, ex cuius inexhauſta beneficentia, tanquam ſonte hortenſi, quid dixi? imo puteo perpetuis aquis ſcaturienti, in omnes chariſmata omnia copioſiſſimè promanant? Si me fontem appellas, propter venas tui ſpiritus quaſdam, quibus & ipſe viuo & alijs potum vitalem ſubminiſtro, quantò ego te veriùs, & diuinitatis in te corporaliter inhabitantis infinitam plenitudinem, ſcatebris ex libano monte iugiter exorientibus, puteíſque illis ex eodem, lapſu perpetuo, gurgite maximo abundantiſſimóque præcipitantibus comparem,

Si mihi cum paruis componere grandia fas ſit?

De hijs puteis videat titelmanum qui volet in hunc locum. 16. *Euigila aquilo.*] Quid tibi pro omnibus tantis beneficijs retribuam? ſcio nihil tibi meis officijs accedere póſſe. Tua tamen bonitas & magnificentia benefaciendo maximè declaratur, tua gloria tanta, vt ei nihil addi poſſit, tuarum laudum decãratione annunciatur. Me hortum dicis, & fructus meos excellentes dilaudas. Peto vt hunc tuum hortum porrò excolas, vt tui ſpiritus auris perflatus, feracior indies & elegantior exiſtat, precor vt nunc imbribus quaſi auſter eum perluas, nunc quaſi aquilo ſerenes tranquillitate, vt & elegantia tuis oculis, & fragrantia naribus, & fruc-

fructuũ ſuauitate palato placeat. 17. *Ingreſſus*] Reſpõſio Chriſti qua eccleſiæ preces exaudi tas confirmat, dein fructus ex ſponſa ab ſe percepros duplici ſimilitudine deformat, altera ab aromatibus odoratis ſumpta, altera, a conuiuio dulciatijs exquiſitis, & vino lactéque opiparè in hortis apparato. Quid clamas ad me? Quid hæſitas de mea perpetua in te præſentia? Iam pridem tametſi ſenſus tui opinione longè abſim, ingreſſus ſum hortum tuum, imo meum, aromata quæ mea manu conſeui præcerpo, Conuiuor apud te lautè & prolixè, & quoniam in te ſpiritus mei ſuauiſſimi dulciſſimíque copioſiſſimam gratiam congeſſi atque accumulaui, huius meæ magnificentiæ mirificam voluptatẽ capio, tum tua, quæ ſolidam & ſempiternam fælicitatẽ ex ea te nacta es, tum glorię meæ cauſa, Quæ tua mearum laudum prædicatione celebratur. Nam hic dei Cibus eſt, hæc voluptas vnica, ſalus nempe noſtra ad ſui nomi nis gloriam ſempiternam, non augendam eam quidem in ſeſe, ſed noſtra commendatione efferendam, non quòd hominum more, gloria lætetur inani & infletur, ſed quòd iuſtum eſt vt creaturę omnes & homines electi maximè, creatoris bonitatem extollant, & quàm in ſeſe, & ſuis ſeruis glorificandis glorioſus ſit enarrent, quod officium pro ſua Iuſticia & æquitate deus non probare, acceptúmque habere non poſſit, ac ita ſua ipſius iuſticia in creaturis relucente exultare, & ſua ipſius in creaturis ſplendente

gloriari

gloriari gloria. *Comedite Amici.*] Apostrophe ad Comites, amicos sponsi & sponsæ, vt illi etiam de salute ecclesiæ exultent & colletentur, & in diuinis laudibus triumphent, deinde vt sponsi beneficiis in communes vtus ecclesiæ profusis, ipsi ad suæ mentis lętitiam explendam & exaturandam fruantur, vsque adeo vt ex spiritalibus istis gratijs non modò bibant, sed etiam inebrientur. Ieschahhiæ. 66. 10. 11. Deo gratias.

Caput

Caput quintum.

Quoniam nemo noſtrum tam ſanctè & cautè vitam tranſigit, vt non aliquando turpiùs prolabatur, peccatisque interdum indormiat diutius, docet hîc ſpiritus ſanctus, quo modo ſi quid nobis fortè acciderit humanitus, huic morbo remedium afferre poſſimus celeri & ſincera pœnitentia, Reſipiſcentiæ viuidam & ſpirantem effigiem, ex cauſis, officijs, effectis præcipuis, ad imitandum nobis proponens.

Sponſa. 1 EGo dormiui, licet animo meo vigilante, cum voci dilecti mei pulſantis, aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, integra mea: nam caput meum oppletum eſt rore, capilli mei aſperſionibus nocturnis:

2 Reſpondi, exui tunicam meam quo modo induerem illam? laui pedes meos, quomodo inquinarem eos?

3 Dilectus meus demittebat manum ſuam a foramine, cum viſceribus meis frementibus in me,

4 Sur-

4 *Surrexi ego ad aperiendum dilecto meo: & manus meæ stillarunt myrrhinum, digitique mei myrrhinum liquidum, in manubrijs seræ.*

5 *Aperui ego dilecto meo, sed dilectus meus subducens se prætierat: exanimata sum propter colloquium eius: quæsiui eum sed non inueni: inclamaui eum sed non respondit mihi.*

6 *Inuenientes me custodes qui obeunt Ciuitatem percusserunt me, vulnerauerunt me, abstulerunt Cavbasum meum a me, custodes murorum.*

7 *Adiuro vos Ierosolymitanæ, si inueniatis dilectum meum, quid indicaretis ei? ægram amore me esse.*

8 *Quid est dilecto tuo, præ alio dilecto, o pulcherrima fœminarum? quid est dilecto tuo præ alio dilecto, quòd ita adiuras nos?* Amicæ sponsæ.

9 *Di-*

9 *Dilectus meus candore & rubore, vexillarius est e myriade.*

10 *Caput eius insigne aurum, purgatissimum, capilli eius crispi, nigri vt coruus.*

11 *Oculi eius vt columbarum, iuxta alueos aquarum, loti in ipso lacte, siti insitione.*

12 *Genæ eius similes areolæ aromaticæ, adultis plantis vnguentarijs, labia eius lilijs, stillantia myrrhinum liquidum.*

13 *Manibus eius insunt orbes aurei, insiti beryllo thalassia: est visceribus eius nitor eboris, tecti sapphiris.*

14 *Crura eius sunt columnæ marmoreæ, innixæ stylobatis auri purgatissimi, aspectus eius vt libanicarum, lectissimus vt cedrorum illius.*

15 *Palatum eius dulcissimum est, denique totus est desideratissimus: hic est dilectus meus, & hic amicus meus, o Ierosolymitanæ.*

16 Quo

16 *Quo abiit dilectus tuus o pulcherrima fœminarum? Quo se vertit dilectus tuus, vt quæramus eum tecum?* Puellæ.

17 *Dilectus meus descendens abiit in hortum suum, ad areolas aromaticas, vt pascat in hortis & colligat lilia.* Sponsa.

18 *Ego sum dilecti mei & dilectus meus meus est, qui pascit in liliis.*

HOC caput triste nobis spectaculum exhibet ecclesiæ aut animulę christianæ grauiter, sed ex infirmitate tamen prolapsæ, & in suis peccatis, conscientia etiam obluctante & obmurmurante aliquantisper immersæ, vt continentes aduersus satanæ versutias & sæuitiam excubias nobis agendas esse admoneamur, luculentam etiam pingit veræ resipiscentiæ imaginem, quam in oculis semper ferentes, per omnem vitam, quæ pœnitentiæ perpetua christianis debet esse meditatio, imitari discamus. Poterat fateor non incōmodè secari bifariam, sed nos maluimus propter docendi claritatem, & multiplicem documentorum vtilitatem trifariam scindere. Ac prima quidem pars, in delicti agnitione, narratione, confessione, ves. 1. 2, in indignatione 3, ex

cussione, cum explicatione veræ & genuinæ, & (vt scholarum more loquar) formalis causæ pœnitentiæ 4, detestatione sceleris & amentiæ propriæ, diligenti perustigatione sponsi, & inuocatione nominis eius 5, posita est, adiunctis quibusdam causis extrinsecis & adiuuantibus pœnitentiæ 6. 7. Quæ quidem ad causas vel actiones & officia veræ resipiscentiæ referri debent vniuersa. Secunda pars in laudibus sponsi consumitur, tum vt proprium dementiam quæ tam amabilem & beneficum excluserit maritum suggillet, tum vt amicas eius amore incendat, quæ res resipiscentes ex animo cum primis decet, videlicet vt & Christi amore inardescant ipsi, & alijs faces & flammas ad eum amandum subijciant. Hoc itaque aliud officium resipiscentiæ est idque eximium 15. Tertia pars & & vltima, veræ pœnitentiæ effecta ceu finem commemorat, id est publicam ecclesiæ salutem & ædificationem, 16 17, deinde priuatam nostrarum mentium tranquillitatem & pacem

* 1. *Ego dormiui*] In duobus primis versibus, recognitio est vt diximus delicti, & confessio. Confessio est hijs verbis, dormiui, licet animo meo vigilante. Hoc est. Fateor sanè, victa tentatione, & huius exilij tædio, & molestia fracta succubui, & peccati quasi dulcis quidam somnus oppressit me, corde tamen vigilante, & suggillante somnolentiam meam, & vellicante mentem meam sceleris conscientia. Ad Roma. 7. 16 & sequent. Ad istam autem

tem normam examinandæ ſunt actiones noſtræ & peccata exigenda, ne noſtræ hypocriſi fucum oblinentes, hydram peſtiferam infirmitatis ſpecie foueamus. Aliud eſt dormire, aliud ſtertere, aliud ex imbecillitate & leuiter offendere, aliud data opera pro libidine peccare, aut etiam atrocius quippiam deſignare. Nec enim aut adulterum in lecto cum ſponſa Chriſtus, aut riualem pro foribus reperit, ſed neſcio quam animi molliciem quæ nec voluptates neceſſarias ſatis conſtanter, nec dolores ſatis fortiter aſpernari poſſit. Illa enim ſcorti ſunt, hæc in mulierem non improbam cadere quandoque poſſunt. *Cum voci*] Tantum tamen abeſt, vt excuſet peccatum infirmitatis ſuę prętextu, vt eius indignitatem etiam grauiter exaggeret. Peccaui inquit non modò contra pręſcriptum verbũ ſponſi mei, ſed etiam cum ille conſcientiæ meæ fores pulſaret per ſpiritum ſuum ſanctũ, & aures mentis meę velleret, cùm multis mellitis vẽrbis, ſuum erga me ſingularẽ amorem & beneficentiã teſtificaretur: *Caput meum*] Cum grauibus & variis moleſtijs ſe perfunctum vt ad me veniret dormitum commemoraret, denique cùm ſe foris nocturno frigore horrere, & caput illud amabile pluuia & imbribus totum oppleri, me molliter interim me curante, & ſuauiter intus requieſcente occineret: 2 *Reſpondi, exui*] Ego futiles & ridiculas ineptias cauſata, ſponſũ meũ inclamantẽ, & amore noſtri pereuntẽ ſpreui, contẽpſi, depuli. Cuius cau-

sa, cùm ille nullum laborem, aut incommodum propter me defugisset, ne frigoris quidem tantillum ferre, aut voluptatem minimam intermittere, aut molestiam vllam subire volui. Hæc autem venustissimâ figura tractantur, ab amatore similitudine sumpta, qui ad amicæ fores per noctem, obsecrando & obtestando vt ianuam aperiat, licear. Simile illud est apud ouidium.

Tempora noctis eunt, excute poste seram.

Item & illud Horatij.

Me tuo longas pereunte noctes,
Lydia dormis.

3. *Dilectus meus.*] Ille a sera vix manum abstraxerat, cùm dolore & pudore & amore victa, & sceleris mei indignatione extimulata, 4 *Surrexi vt aperirem dilecto*] Notanda hic est hæc in resipiscendo sponsæ celeritas & maxima festinatio, ne in peccatis nostris nobis blandientes torpeamus. Hactenus igitur de officijs quibusdam & actionibus verè pœnitentis. *Et manus meæ stillæ*] Hæc maxima & vnica causa pœnitentiæ est. Nisi enim sponsus noster infirmitati nostræ parcens & indulgens, non solùm offensas nostras toleraret ac cõdonaret omnes, sed etiam spiritus sui (qui hic myrrhino præstantissimo quo se Hhebræi vngere solebant propter suam suauitatem summum comparatur) gratia abundantissima mentes nostras peccato languentes & oppressas excitaret, humectaret, sanaret, nos ij sumus ex nobis qui in mortem æternam procul dubio obdor-

obdormiremus. Hic sensus itaque est: sponsum nostrum tanto nos amore prosequi, vt ne contemptus quidem, & summa iniuria exclusus, nostri curam abijciat, imo vero imbecillitatem nostram ferens, vtpote infirmitatum nostrarũ conscius, copiosa sua gratia vires suppeditet, vt ex iniquitatibus nostris in quibus alióqui commoreremur exurgamus. Sera itaq; mens carnalis est qua christum excludimus, myrrhinum digitis Christi profluens, spiritus est gratia, quam Christus pulsãdo fores animi nostri infundit, & post se relinquit, quo recreati & afflati carnẽ odisse & illius suauitate delectari incipimus. Hoc vnguentum sponsa in manubrijs seræ inuenit expergefacta, quo manus eius totæ & digiti vniuersi manant, vt operum nostrorũ odore, & pœnitentiæ fructibus ecclesiam cunctam perfundendã, & pauperes christianos reficiendos esse intelligamus. Huius denique vnguenti vis efficit, vt ex somno & lecto resurgamus, tametsi id minus appareat, donec excitati, & ad aperiendũ progressi, in ipsis hostij pessulis sentiamus.

5. *Aperui ego dilecto*] Hoc est. Iam tunicam meam indueram, iam pedes meos inquinaueram, laborem & molestiam nullam recusaram, molliciem & oblectationem omnem excusseram, vt dilectum meum introducerem. Ille tamen alio nescio quò diuerterat. Nullam interea pacem conscientiæ, nullam mentis tranquillitatem propter scelestam meam segniciem & nefarium scelus sentio. *Exani.*]

Quin potius terrores & pauores animi vndiquaque se offerunt, propterea quòd dulcissima illa spiritus & mellitissima blãdimenta surdis & fastidiosis auribus respuerim. Ille quidem sororẽ gratiosè, amicã blandè, colũbam peramãter, integram honorificè ingeminabat. Ego verò nec fratrẽ agnoui nec amasiũ cõplexa sum, & comparẽ fastidiui, & integerrimum meum sponsum qui omnibus me ornamentis ad summã perfecti onem decorauerat, & omnibus officijs studiosissimè coluerat, contumelijs affectum exclusi. Quãm metuo ne me pro meritis meis talibus a se segregeret? Ne repudio misso iniurias istas persequatur? Ne alios amores ambiat? Quis daret, vt eas iterũ voces cõsolatione plenas audirem? Soror mea, amica mea, columba mea, perfecta mea. Me misseram. Quæro sed non patitur se inueniri, lamentis omnia compleo, ille tamen nihil exaudit. Hic præclarè Ischelomo describit, pœnitentiæ vetæ officia, magnãq; habent hæc affinitatem, cum illo pauli loco quo corinthiorum resipiscentiam commendat 2. Corint. 7. 11.

6 Inuenientes] Hæc causa adiuuans est, & in suo etiam genere efficiens pœnitentiam. Papillæ inter effecta referrent potius, Christúmq; dicerent suam sponsam pœnitentẽ, seuerè castigare, tum vt hac pœna iustitiæ ipsius violatæ satisfieret ab ecclesia, tum vt reliquias peccati superioris communderet & abstergeret. Ita enim hîc supplicia omnia a deo inflicta interpretantur, vt partim satisfaciendi vim habeant pro pœnis

nis peccato debitis, partim emendandi. Quin hijs remedijs, acerbioribus illis quidem, sed salutarib' tamen, ad nostram ferociam vtatur deus edomandam, & affectus nostros vitiosos compurgãdos & extirpandos, negari nõ debet. Qua ratione inter causas veræ pœnitentiæ rectissimè rediguntur. Siquidẽ resipiscentia in carnis mortificatione præcipuè posita est, eam autem mortificationem efficiunt vel maximè, aduuántq; hæc a deo nobis impacta flagella. Sed deum aliã satisfactionem pro peccatis nostris quærere, aut pœnarum sceleribus nostris commeritarum redemptionem vllam aliam statuere, nisi in vnica vnius redemptoris nostri & expiatoris Iesu Christi sanctissima, absolutissima, perfectissima & si ita liceat loqui sufficientissima hostia, quæ peccatorum nostrorum omnium piaculum, & suppliciorum nostrorum vniuersorum ἀντίλυτρον est, qui putat, is Iesum christum eundémque crucifixum negat. Nam & illius sacerdotium conuellit, & crucem euertit, & gloriam quantum in se est proculcat, suam autem ipsius spem debilitat, fiduciam labefactat, animum suum in mortis cruciatibus, purgatorij terriculamentis ita distorquet, vt liberè & tranquillè emori non possit. Ad Philipp 1.23. Discant igitur vel ex hoc vno loco afflictionum istarum vsum. Nempe vt plagis & flagris edomiti, & crucis acerbitate fracti peccata nostra quibus istas calamitates acceptas referre debemus, odisse ac detestari discamus, cũ ipsius

etiam doloris sensu fateri cogimur, quantopore iniquitates nostras etiam remissas, & in Christo vindicatas abominetur Deus, quantopere ille pietate, puritate, integritate delectetur. Psalm. 25.7 & 18. Deinde hijs castigationibus modestiam & humilitatem edocti, & a peccatis reuocamur, & cautiores in posterum reddimur ne Dei iram rursus exacerbemus. Postremò ad officium & sanctimoniam erudimur, fæcibus & scoria mentis nostræ, afflictionibus tanquam igne excocta, & quasi fræ-nis quibusdam tribulationis capistramur, ne nefarijs cupiditatibus abrepti in sempiternas pœnas incidamus. 1. Corinth. 11. 32. Illud enim illis libenter damus, si nos veræ pœnitentiæ seriò studeremus, & Dei iudicium seuera ex nobis animaduersione, nostra sponte exacta, antreuerteremus, futurum esse plerumq; vt diuinæ castigationis seueritatē euitaremus. Vide etiam hic in eadem iudicij excercitione, & dei iusticiā, & præfectorum ecclesię perfidiam, scelus, crudelitatem. Qui ecclesiæ salutem capitum suorum periculo tueri & defendere debent, ij omni contumeliæ & sæuitiæ genere afficiunt, vestibus spoliant, plagis & vulneribus confectam vix vitam relinquunt, & tamen custodes murorum, ecclesiæ propugnatores dici & existimari volunt. Non igitur loco & successi one sed factis & animo iudicandi sunt pastores ecclesię & præfecti. 7 *Adiuro vos*] Hęc alia causa adiuuans est. Communiū precū imploratio,

tio, pro remissione peccatorũ, pace publica, & tranquillitate cõmuni Hæc sponsæ supplicatio & per dei nomen sacrosanctũ obtestatio, si vnquam apud amicas eius & pedissequas valuit, hijs certè calamitosissimis temporibus valere plurimùm debet. Namque quę paucis ante annis in Gallia vidimus quid attinet commemorare? & dum ista scribimus haud multò lætiora inctantur de Belgis. Et sponsam Christi matrem nostram Charissimam, ecclesiam sanctam Catholicam apostolicam, non omni qua possimus ratione subleuamus? Non calamis propugnamus? facultatibus sustentamus? lachrimis solamur? obiectu corporum nostrorum protegimus? Illud sane sine summo scelere recusare non possumus, quin communibus precibus opem feramus. *Ægram amore*] Id est, antea quidem præ lasciuia reiecì Christum & exclusi, & cum in gratiam rursum redire voluit, noctem negaui. Nunc autem tanta eius facti pœnitentia discrucior, tam acerbè illius desiderium fero, vt quà dolore, quà amore contabescam. 8 *Quid est dilecto.*] Parasceue' est ad secundam capitis partem, in qua parte se summæ dementiæ insimulat sponsa, quòd tam gratiosum, amabilem, omni laude florentissimum sponsum sua inertia amiserit. Qui quidem fructus resipiscẽtiæ vel maximam vim habet & commendationem inter reliqua superiora eius officia, laus videlicet Christi, eo con-

consilio decantata, tum vt torpentes & consopitos amoris nostri ignes exuscitemus ipsi, tum vt faces alijs inflammandis admoueamus. Puellæ itaque ex vehementi illa obtestatione superiore, & ægritudine animi ecclesiæ, occasionem capiunt eam percontandi, de forma & dignitate Christi, qua quæstione attentio & docilitas conciliatur ad excellentissimum illud Carmen animaduertendum, quod ecclesia accuratissimè in sponsi sui laudibus elaborauit. 9 *Dilectus meus.*] Tu benedicte Iehoua doce me statuta tua. Retege oculos meos vt intuear mirabilia de lege tua. Spiritus tuus domine omnia tua abdita scrutatur, etiam profundissima arcana tua, me obsecro illius luce comple, vt ea illuminatus sciam, quæ tu nobis in hijs reconditis thesauris sapientiæ & misericordiæ tuæ gratificatus sis. O deus maiorum nostrorum domine misericordiæ, emitte spiritum tuum e sanctis cœlis, e throno gloriæ tuæ demitte illum, vt mecum sit in hoc labore, vt cognoscam quis sensus sit tuus, & ecclesiæ tuæ ædificandæ, non meæ, aut famæ aut commodo inseruiam. Da mihi sapientiam tuam, vt tibi reddam gloriam tuam. Vt tu solus es sapiens, ita laude solus afficiendus immortali. Nam quis ego sum? aut quæ est in me facultas? homo infirmus, brevissimæ vitæ, nullius Iudicij in mysteriorum tantorum intelligentia, nisi tu dederis prudentiã cœlestem, & spiritum tuum sanctum e locis altissimis demiseris. Exaudi

me

me te inclamantem, ex fide promissis tuis innixa, per Iheſum Chriſtum filium tuum vnigenitum, cui tecum in ſpiritus amborum ſancti communione perennis ſit laus & gloria. Amen.

Hoc in principio animaduertendum cenſemus, Chriſti maieſtatem non qualis in gloria exiſtat & natura ſua, aut qualis in ea forma ſit quam pro nobis ſuſcepit ſerui, ſed cuiuſmodi ſe in mundi admirando opificio, præcipuè verò in eccleſiæ ſuæ adminiſtratione exhibuit, a ſchelomone hic effingi. Sequamur itaque Tremelium & Iunium in literæ explicatione, deinde ſenſum & mentem allegoriæ quantum deus nobis dederit & patefecerit, ſpiritu ſancto duce & præmonſtratore rimemur. Deſcriptio inquiunt illi eſt allegorica ſponſi, qui primùm a viuo colore, natiuo ſucco, conſtitutione corporis temperatiſſima & conuenienti commendatur, quæ ſunt indicia ſummiſſimæ valetudinis, metaphora ſumpta ab anteſignanis & vexillariis in re militari; qui reliquos omnes ferè antecellere, corporis robore, & dignitate & proceritate ſolent. Nos autem doctos & pios interpretes imitati, in candore fontem perennem omnis ſanctitatis, puritatis, claritatis, integritatis, in rubore abyſſum immenſam Iuſtitiæ inculpatæ & immaculatæ adoramus. Hæc duo maximè nobis in diuinis literis de deo traduntur,

tur, & in ecclesię administratione elucent perspicuè, vt in effigie illa danielis 7.9. cernere est. Vbi docet Daniel deum pro sua summa sanctitate non posse suorum negligere integritatem & innocentium, & inuicto robore esse pręditum, vt secundum iustitiam suam seuera possit ab hostibus suis exigere supplicia. Iustitia itaque & sanctitas, ita Christi gloriam & dignitatem illustrant, vt hominis faciem candor, rubore conuenienti attemperatus. *Vtexillarius.*] Multò pulchrior effectus est filiis hominum Psalmo. 45. 3. quin etiam tantò præstantior omnibus angelis quantò excellentius præ illis sortitus est nomen. Hhebræ 1. 4. Atque hæc quidem prolepticè de Christo in vniuersum prædicata, postea sigillatim in omnibus illius membris & operibus cunctis intelliguntur. IO *Caput eius*] *In signe auri*] Id est preciosissimũ & splẽdissimũ. Treme. In auro inexhaustos thesauros clementiæ, benignitatis & misericordiæ rectè intelligunt, quos ille in omnes creaturas copiosè profudit, in ecclesia autem ditanda & exornanda prodegit magnificentissimè. Hinc est quòd tam sæpè diues deus in misericordia in sacris literis celebratur. Atque hoc etiam caput est & origo omnium illius operum, a qua benigna munificentia fluit, quicquid est vspiam vel in cælis, vel in terris, vel in inferis locis boni. *Capilli*] Sapientiam admirabilem, con-

consilia imperuestigabilia, Iudicia arcana & profunda interpretantur, quæ ita implexa sunt & inuoluta vt indagari, ita atra, vt cerni ac dignosci liquidè nisi perrarò & non a quibusuis possint, ita tetrifica, vt formidinem horroremq; incutiant. 11 *Oculi eius*] *Columbarum*] Vt supra, 1. 15. & 4. 1. *Iuxta alue*,] Hoc est, Lautissimarum, periphrasis. *Loti in lacte*] Id est quotum album est lacteum. *Siti insiti*] Tam conuenientes & apti suis foraminibus, vt insitiuæ gemmæ in annulorum palis. Hæc illi omnia. Manifesta diuinæ prouidentię ex similitudine humanorum oculorum pictura. Nam illius oculis omnia nuda & aperta sunt, etiam ante sæcula condita, ne quicquam temerè aut fortuitò in rerum vniuersitate accidere putemus, aut aliter atque ille ab omni æternitate definiuit & prædestinauit. Eius autem oculi columbini prędicantur, propter amabilitatem, candorem & sinceritatem ab omni malitia, inuidia callidáue astutia alienissimam. Qua de causa etiam, eorum alba tunica lactis nitori niueo assimilatur, vt summam esse in illius prouidentia puritatem innocentiamq; agnoscamus & confiteamur. Namq; vt multa fœda & flagitiosa in terris eueniant quæ omnes boni detestentur & acerrimis supplicijs vindicari expetant, in illius tamen consilio & decreto, & fine illi proposito, naturam & rationem boni sanctiq; habent

bent vniuersa. Quapropter illius oculi gemmis in annulis insitis similes perhibentur, ob eam causam quòd nihil aptius, conuenientius, pulchrius fingi potest, quàm quod ille æterno consilio decretum & definitum, suo quodque tempore, loco, ordine efficit, vsque adeo vt homines & angeli sapientissimorum illius operum admiratione capiantur. Ecclesiastici. 39. a versu 20. ad finem

12 *Genæ eius.*] Genæ eius florent barba conuenientissima & odoratissima. Tre. Descendit sponsa ad proprietates eas dei demonstrandas, quæ in administranda ecclesia ipsius & electorum salute procuranda propriè cernuntur. Ministeria varia hominum & angelorum arcolis comparantur hortensibus, propter spiritus Christi fragrantiam ex quo omnis eorum virtus bonitásque enascitur aromaticis, & ad vnguenta conficienda expetitis. Ex hijs areolis & plantulis vnguentarijs facies ac vultus Christi dei figuratur, eò quòd cuiusmodi sit ille natura, ex creaturarum præstantissimarum sanctificatione & iustitia & sapientia & suauitate diuina iudicatur. Iam vero, tametsi barbam aromaticam pro ipsius spititus Christi suauissimis vnguentis quibus suos afflat & perfundit totos, rectè & verè interpretari possem, tamen ad creaturas ratione præditas, illis vnguentis ita delibutas, vt eandem fragrantiam exhalent & ipsæ, referre malui, quia huius meæ interpretationis sponsam ipsam authorem habeam. Infra eodem Capite

pite 17. Genæ itaque ecclesia est in qua dei maiestas & natura manifestè relucet & agnoscitur, areolæ aromaticæ & plantæ vnguentariæ homines dei sunt, variis charismatis pro ministeriorũ diuersorum varietate ditati. *Labia eius.*] In labiis oscula quæ pãgit Christ' per spirit' sui cõmunicationẽ intelligimus, quæ spirit' iucũditatẽ summã vnguento myrrhino præstãtissimo similem redolẽt. Hijs osculis ignes amoris nostri exufflat, & ad consueta gaudia frigiditatẽ nostrã calfacit. Illud enim perspicuum est, in verbi diuini meditatione & studio, spiritum vim suam præcipuè exerere, & hiis diuinis odorib' mentes afflare Christianas. Per labia ideirco, vel sermones & colloquia ex scripturis diuina, Vel spiritus sancti gratiam fragrantissimam verbo perceptam & communicatam intellige.

Similia lilijs.] Id est odoratissima & tam decorè eminentia quàm lilliorum labra. Trem. 13 *Manibus.*] Literalis sensus. Omnia ei insunt preciosissima & splẽdidissima. *Est visceri.*] Hoc est pectus eius adeoque totum corpus cultum est preciosissimè & conuenientissimè gemmis. Metonymia. Viscera pro pectore quod viscera continet. Trem. Insignis est minimèque obscura Diuinorum operum admiratio vsque elaboratorum, in cælestibus orbib', in solis, lunæ, stellarum globosis formis cõmendatio. Nam & sphæræ ipsæ annulis aureis, & stellę beryllo thalassio: facies ipsius cœli, ebori candenti, stellæ fixæ & errantes aereis

reis ſapphiris elegantiſſimè & ingenioſiſſimè conferuntur. Illud profectò eſt. Reſpicio ad cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas quas conſtituiſti. Pſalm 8.4.

14. *Cura eius.*] Delabitur oratio ad inferiora Dei opera, ad mare, ad terras quibus ſuperna illa innixi & incumbere, tanquam tibijs humanum corpus videntur. Hæc autem propter ſoliditatem & eximios ac excellentes vſus, columnis ſimilia prædicantur marmoreis.

Stylobatis] Id eſt pedibus qui ſtylobatarum vſum tibijs præbent. Treme. Pedes ex auro purgatiſſimo beneficentiſſimam, iuſtiſſimam & mirificam omnipotentiam declarant, quæ cuncta domini opera ſolo nutu & verbo potente ſuſtentet, alat, tueatur, alióqui facilè in nihilum collapſura. *Aſpectus eius.*] Heroica proceritas & maieſtas vultus cedris libanicis aſſimilatur. Hoc illud eſt.

Qui gentes ſuper arduus omnes,
Celſas ætheris incolit arces,
Cuius longè gloria, mundi
Trans flammantia mœnia vecta eſt.
Pſalmo. 112. 4.

15. *Palatum eius.*] Id eſt ſermo, metonymicè. Treme. Poſtremò inquit ſponſa, quod pene oblita eram, in ipſius ſummis laudibus ferendum, ſermo illius, quo ſponſam ſuam vel laudat vel conſolatur, vel de ſua beneuolentia & futuratum nuptiarum gloria certam facit

cit, mel est & dulcedo mera. *Denique totus*] Epiphonema, quo sponsi laudes acclamando concludit, quóque significat multa se pro suo captu, sed pro eius dignitate dixisse nihil.

16 *Quo abiit dilectus*] Tertia pars Capitis quæ effecta ceu fines potiùs pœnitentię nostræ notat. Est autem finis duplex, alter publicus ad totius ecclesiæ ædificationem pertinet, hoc versu & sequen. alter priuatus ad nostræ mentis consolationem & pacem. Sensus est. Si res ita se habet vt prædicas, si tam pulchrum, amabilem, munificum, honoratú sponsum nacta es, qui te tam præstanti ista tua pulchritudine, supra reliquas omnes fœminas adornauit, si se a quibusuis patitur amari, agè, doce quò abiit, quia certum est eum vnà tecum vbi vbi sit perueștigare. Nihil enim vtilius, nihil honorificentius nobis accidere posse intelligimus, quàm vt nos etiam Iesu Christo nubamus. 17 *Dilectus meus*] Agitè, amabò. Nihil illi gratius, nihil mihi optatius. Nulla enim in amore nostro zelotypia inest. Quò plures amamus, eò Charitas nostra auctior & affluentior est. Quò plures illum amant, eò & diuitiæ illius magnificentiùs lucent & gloria fulget splendidiùs. Quam ob rem, ad paradisum cœlestem suspiciamus, vbi in angelis & spiritibus iustis deliciatur, offensus plerumque impuritatib' & turpitudinibus nostris, ad ecclesiæ catholicę hortũ cultum & vernantẽ descendamus, ad sacros cœtus properemus, qui tan-

quam areolæ in hortis variæ, varijs spirit' christi donis tanquam plantulis vnguentarijs constratæ, ambrosios & diuinos odores expirant, in quib' Christ' se delectare & spatiari gaudet. Solet enim hortos istos copiosa sua cœlesti benedictione fœcundare. deinde sua ista liberalitate non se eius lætari, acsi cõmunio lauto & oppiparo se pascere t, aut lilia colligeret odoratissima. Fructus namq; ex ecclesia perceptos a christo, duplici similitudine illustrat, a conuiuio & ab odoratis floscul is supra, vt superiori capite versu postremo. Quod dicit descendens abiit, rationem habet ciuitatis Ierusalem amorum, quæ omni ex parte declivia erant, vt ad hortos ad montis pedem sitos necesse esset descendere. Tre.

18 *Ego sum dilecti.*] Secundus Finis resipiscentiæ, pax mentis, propter promissiones christi, verè pœnitentib' factas, & æternæ vitæ secura expectatio, votum etiam sponsæ, se in omnem vitã cautiorẽ futurã ne tam turpiter & scelerate à christo deficeat. Vide sup. 2. 16. *Qui pascit*] Hoc est qui hijs delicijs & iucunditatib' spirit' paracleti cõsentiã meam dudũ afflictam recreat & alit, deinde ista tua erga me benignitate, lætissimo animo fruitur ipse. Allegoria a conuiuio in amœnis hortis & lilietis viridantibus pro sponsa & sponso, apparato. Nam a pastore suas oues in locis culti s & floridis pascente supra deduximus. Hoc probamus potius, illud supra 2. 16. non ita iam placet.

Caput

Caput sextum.

Christus lamentantem ecclesiam & suam illam superiorem offensam vt audiuimus plangentem blandissime consolatur, primùm verbo, 9, Deinde præsentia sua, cùm ipsam ad conspectum suum advocatam dilaudat amplissime 17, Postrem ò coniunctione intima & arctissima, ex qua omnium spiritalium Charismatum affluentia scaturiat.

1 *Vlcbra es amica mea vt Tirtza, Decora vt Ieruschalaima, Terrifica vt vexillationes.* Sponsus.

2 *Aduerte oculos tuos ex aduerso mei, vt illi efferant me: pilus tuus est vt gregis Caprarum, quæ detondent e Gilbhade.*

3 *Dentes tui similes gregi ouium cum ascendunt e lauacro: Quæ omnes sunt e gemelliparis, in quibus nulla est orba.*

4 *Velut fragmen malogranati, v-*

trumque temporum tuorum præ crine tuo est.

5 Vt sexaginta sint reginæ, & octoginta concubinæ, puellæque innumeræ:

6 Vnicam illam columbam meam, integram meam, vnicam illam apud matrem suam, puram illam apud genitricem suam, Simulac viderint puellæ beatam prædicabunt, reginæ & concubinæ laudabunt dicentes.

7 Quæ est ista quæ spectatur, velut aurora, pulchra vt luna, pura vt sol, terrifica vt vexillationes?

8 Ad hortos putatos descenderam, ad inspiciendū virentes plantas vallis, ad inspiciendū, an floresceret vitis, germinarent mali punicæ:

9 Nondum percipientem hæc, animus meus imposuit me curribus populi mei ingenui, vt dicerem:

10 Reuertere, reuertere, o Schulamitis, reuertere, reuertere, vt spectemus te: Quid spectatis in illa

illa Schulamitide? velut choros Castrorum.

11 O quam pulchri sunt pedes tui cum istis calceis, filia ingenui: ambitus fœmorum tuorum sunt veluti monilia, opus manuum artificis.

12 Umbilicus tuus velut crater rotundissimus: ne deficiat illius mixtio, Sed venter tuus sit, vt acervus tritici sepitus lilys.

13 Duo vbera tua similia sunt duobus hinnulis, gemellis Capreæ.

14 Collum tuum simile turri eburneæ, oculi tui piscinis artificiosissimis ad portam frequentissimam: Nasus tuus similis turri libani, spectanti versus damascum.

15 Quod in capite tuo impositum est tibi, simile est coccineo: & vitta Capitis tui similis est purpuræ: rex alligaretur suis ambulacris.

16 Quam pulchra es, & quam amæna, o amor in deliciis istis?

17 Illa statura tua similis est palmæ & vbera tua botris.

18 *Dico, Conscendam palmam, prehendam palmites eius: erunt que iam vbera tua sicut botri vitis & odor nasi tui sicut poma.*

19 *Palatumque tuum vt vinum optimi, mouens se amantissimè rectissimèque: efficiens vt loquantur labia dormientium.*

HOC Caput in duas partes discindimus. In prima, ecclesia lugens ac gemés necdum satis ex illo scelere, quod superiori capite deflcuit confirmata, erigitur a christo & de concordia redintegrata, magnificentissimis & honorificentissimis laudib⁹, certissima redditur. 9. In secunda, ad omnẽ metũ ex turpãdum radicitus, & plerophoriã conscientiæ ingenerandam, accersit ipsam christ⁹ ad suum conspectum, vbi eam operosissimè laudat. 17. Inde se ad amplexus experitos parat, quorum effecta magnificis allegoriis effert. Prima rursum pars trifariam diuiditur, primi quatuor versiculi laudibus sponæ prædicandis absumuntur, vt certò sciat pristinum se locum gratiæ & amicitiæ apud Christum recuperasse. Secundò quòd illa verita erat, ne se christus desereret, & alios amores coleret, ostendit christus nullam se sponsum reperire in terris, quæ ecclesiæ venustate & formæ præstantia par es-

ſe poſſit, ideóque reginas & concubinas, puellaſque omnes illi cedere, & palmam pulchritudinis vltro deferre confirmat, ad ſeptimum verſum explerum. Tertiò diſceſſionem illam ſuperioris capitis aliter atque ſponſa acceperat interpretatus, de ea ſe purgat, 8. 9.

1 *Pulchra es*] Exorditur a commendatione venuſtatis eximiæ ſuæ ſponſæ, quam duarum pulcherrimarum, elegantiſſimarum, amœniſſimarum, opulentiſſimarum vrbium collatione amplificat. Tirtza. Oppidum amęniſſimum in finibus iſraelitarum ad euphratẽ ſitum vbi propterea diſrupto regno Iarobhham conſtituit regiam, vt legitur, 1. reg. 14. *Ieruſch.*] Olim longè clariſſima vrbium orientis. Treme. Nam vt reges primarias quaſdam vrbes habent in quibus regnent, ita dei ciuitas florentiſſima & fœliciſſima, eccleſia eſt, eiúſq; regni caput. *Terrifica*] Id eſt inexpugnata, virtute & fide. Trem. Noua allegoria caſtrenſis. Ita enim oppugnat Satan eccleſiã omnib' ſuis copijs vt expugnet nũquã, Ita eam leuiter & exiliter vulnerat, vt ipſe tamen victꝰ & proſtratus turpiter & ignominioſè tandẽ aufugiat. Pontificij inter iſtas acies, ſuam illã ruinoſam hierarchiã, quærunt ſi quo pacto reperire poſſint. Terribilis inquiunt eſt eccleſia, vt caſtrorum acies ordinata. Fatemur. Ergo noſtra eccleſia quæ ſẽper inuicta ſtetit etiamnúmque ſtat, vera eſt eccleſia. Negamus. Neq; veſtra eccleſia ſtetit inuicta, neq; etiamdũ ſtat. Res mira inquiunt cerne oculis

manibus contrectato. Ego vero contrà, cerne inquam animo, mente perſpicito. Vbinam, tot ſuperioribus ſæculis vexillationes iſtæ terrificæ? vbinam vberaſicca erant. Vbinã dentes? euulſi erant. Vbinam ceruix? præciſa erat. Vbinam oculi? Effoſſi erant. Et tamẽ de externa illa ſpecie & põpa eccleſiæ, vobis placebitis? et tamẽ de theatricis illis laruis & perſonatis ludijs gloriabimini? diſcite ô cæci, ex ſchelomone demũ diſcite, quib' copijs pugnet eccleſia, quib' armis decertet, & in qua re ſita ſit iſta præclara victoria. Satã hoſtis eſt, ſuosq; miniſtros non rarò ex eccleſiæ ipſius præfectis contra ipſã eccleſiam armat. Illa ſpoliatur, nudatur, vulneratur, ac tãtùm non occiditur. Lachrimis, precibus, gemitu, ſuſpiriis pugnat, fide vincit, patientia triumphat, quæ ſuperiori Capite didicimus omnia. Chriſtus eam ne calamitatum perpetuis æſtibus, ac oppreſſionum continenter reciprocantium fluctibus iactata ſuccumbat, ſolatur hijs verbis, & robore ſui ſpiritus inſtructam ſatis, contra omnes ſatanæ exercitus demonſtrat, Tametſi enim cum grauibus & continuis periculis conflictata, non poſſit non cedere aliquando & hoſti locum dare, omnes tamen inferorum portas ne quicquam ad eam labefactandam aut opprimendã poſſe. Senſus itaque eſt, mea diuina virtute ita communita es, ita corroborata, vt nullæ tibi hoſtiles copiæ, ne ſpiritales quidem, nedum humanæ pares eſſe poſſint, quantumuis multitudine aut viribus terribiles.

Quid

Quid igitur metuis, ne plagam illam animæ quam iam ſatis defleſti læthalem acceperis? Imo ſi ego ſatis virium ad te propugnandum habeo, nec illa nec vlla tibi vnquam erit læthalis. Dupliciter igitur peccant pontificij in argumentando, tum quòd promiſſiones electis ſolis factas ad papas & mitratos ſuos antiſtites ab eccleſiæ ſpiritu & ſanctorum communione alieniſſimos, aut etiam ad abbates & monachos & fraterculos quorum nulla eſt in eccleſia Dei, publica vocatio & functio violenter detorquẽt, quam vanitatem paulus ad Romanos 9, apertiſſimè coarguit, deinde quòd ſpiritalem pugnam, & cœleſtem victoriam in aſpectabilem imperitè transformant, & eccleſiæ fucatam ſpeciem & fallacem ſplendorem pro vera & legitima Chriſti ſponſa adorant. Neque enim negamus Chriſtum eccleſiam ſuam, illorum crudelitate oppreſſam & conculcatam, ſuperiora multa ſæcula in ipſorum cœtibus, ipſis inuitis nutrijſſe & conſeruaſſe, nec tamen ſi ſuis electis ignorantiam illã, quam vt illorum tempora ferebant, neceſſe eſt multã ac fœdam fuiſſe non imputauerit, idcirco ipſis qui cum Dei voluntate, liquidè ex verbo reuelata bellum gerunt, & ad veritatem clariſſimè ac puriſſimè lucentem oculos obturant, imo certè Chriſti euangelium ferro ac flãma extinguere moliuntur, hanc tantam nequitiam, tam deploratam malitiam impunè fore concedemus. *Aduerte*] Quid times adhuc? Quid lumina deiicijs in terram? Cur

a me

a me oculos retorques? Quin potius obuerte, & me impauido ac fidenti aspectu fige. Nam non modò tibi ampliùs non subirascor, sed ex amabilissimo tuo vultu maximam voluptatem & gloriam capio. Vide supra 4.9. Multam operam nauat Christus vt vel seruilem metum vel desperationem ex mentibus eradicet nostris.

Pilus tuus.] Constans est illa tua pulchritudo, de qua supra 4, neque vlla infirmitate tua potest emarcescere, quia posita est tota in gratia & virtute mea. Trem. vide supra 4. 1. 3. *Dentes*] supra 4.2. 4. *Velut fragmen.*] supra 4.3. 5 *Vt sexaginta sint*] Secunda sectio primæ huius partis. Quòd aiebas te metu axanimari supra 5. 5, ne te spreta alijs amoribus indulgerem, quam tui quæso similem, quam mihi parem coniugem ex omni numero reperire possum cùm semel a te discessero? Multæ fateor ecclesiæ sũt, meis maximis beneficijs ad altissimum dignitatis fastigium subuectæ, quæ primas sibi rebus in omnibus vendicantes, meique matrimonij iure se iactantes, reginarum titulis inanibus & typho gloriantur. Plures cõcubinæ quę liberalitate mea sustentatæ & amplissimis donis ditatæ, longè tamen infra reginarum gradum, longissimè infra te quæ sola cœlestibus & diuinis spiritus sancti ornamentis es exculta subsistunt. Puellæ verò innumeræ quas benignitate pro magnificentia & & gloria mea alo, ad ministerium meum tanquam seruitia spon-

sponsæ meæ. Allegoria ab aula Schelomonis, & multitudine vxorum ac concubinarum ipsius, & ancillarum honorabilium grege.

6 *Vnicam illam*] Sed te columbam amabilem meam, quam primùm ex omnibus populis, dein ex populo meo peculiari mihi selegi vnicam, quam mihi integram & fidelem virtute & gratia mea conseruaui, quam solam spiritus mei opibus cœlestibus exornatam & excellentissimè comptam curaui, quam vnicam ecclesia in terris posita, & sub signis meis bellum gerens pro germana filiola agnoscit, cuius fides matrem illustrat, virtus decorat, veritas delectat, concordia corroborat, cuius puritas genitricem commendat, veritas honorabilem & admirabilem facit, omnes gentes ac nationes beatam te prædicabunt, reginæ ipsæ & concubinæ, vel tuæ virtutis admiratione obstupefactæ, tibi se sponte subijcient, vel mea tandem dextra deiectæ ac prostratæ, dignitatis & vetustatis palma vltro cedent, dicendo. Hæc allegoria a Pharaonis filia, vnica Schelomonis legitima vxore ducitur, quæ typus ecclesiæ electorum extitit.

7 *Quæ est ista,*] Confessio amplitudinis quæ est in Ecclesia per gradationem elegantissimam. Tremel. Hoc illud est ipsum. Tantummodò gens ista maxima est, populus est prudens & sapiens. Deuteronomi. 4. 6. Contentio a maximis & pulcherrimis Dei operibus quasi dicerent,

Nihil

nihil in terris tibi simile, ne in cœlis quidem, et omnibus dei creaturis magnificentissimis quæ humanis sensibus comprehendi possunt.

Terrifica] Supra eodem. 1. 8 *Ad hortos puta*] Sectio tertia primæ partis & vltima, qua ecclesiam consolans ostendit se, nec fastidio, nec indignatione discessisse, sed potius ingenti studio quo tenebatur, perficiendi sanctissimas istas nuptias profectum esse, vt de tempore illarum cognosceret. Trem. Ego vero olim putabam, sponsum se purgare de illa discessione ad istum modum, quod Ieruschalaimis quandóque sibi exeundum necessario esset, vt de statu rusticanarum ecclesiarum iudaicarum cognosceret, num illæ etiam religione & pietate florentes, dignos fructus respiscentiæ ferrent. Hoc nunc non ita placet. Horti idcirco isti, ecclesias gentium denotant, quæ in maxima messiæ spe, & salutis per illum consequendæ etiam tum erant, quæ ideo hortis ante vernum tempus putatis & collucatis comparantur, vt feraciores existant. Hos hortos se inuisisse christus illa profectione narrat, quia illud tempus nuptijs celebrandis indictum esset, quo tempore illæ vites efflorescerent, & illæ mali punicæ germinarent. Alia allegoria hoc ipsum docet Christus Iohannis 4 35 & deinceps. Vbi ostendit prophetas & veteres patres sementem fecisse euangelij inter ipsas gentes, cuius fructus apostoli iam maturos demeterent. Illic ager mundi ab antiquis seminatur, ab apostolis meti-

metitur flauescens seges, hic autem pomarium ecclesiæ gentium, veterum hortulanorum manu purgatum & præparatum ostenditur, vt fructus opportunos Christus aduentu suo colligeret. Huius autē loci germanus sensus est, tamet si Christus sceleribus nostris exacerbatus, nos quandóque deserat, ita tamen discedere, vt non modo non repudiet, aut penitus abijciat, sed etiam digressus, amore nostri summo, id est suorum in nobis bonorum pro æterna illa electione exæstuet. 9. *Nondum percipi.*] Allegotia a quadrigis schelomonis & comitatu equestri nobilissimo & honoratissimo, qua notatur summa reditus celeritas, si quando a nobis Christus abscesserit. Significat enim se nostra cōsuetudine non magis posse carere, quàm ille apud terentium, qui se ita apud seruum iactitabat: ego illa carere non possum si opus sit vel totum triduum? 10. *Reuertere, reuer.*] Hæc ita finguntur, quasi Christus rure reuersus, ecclesiam discursantem, & aliò respicientem, anxiéque ipsum conquirentem prior conspicatus, voce quàm potest maxima contendat, vt ad se reuertatur. *Schulamitis*] In hac voce, maxima vis inest & diuina consolatio. Nan siue perfectum significat, quid potest esse animis nostris iucundius, quàm cùm cogitamus nos a Iheſu Christo sponso nostro ita laudari, vt illius iudicio & existimatione perfecti & simus & habeamur? Tametsi enim ista

per-

perfectio, nondum expleta in nobis sit, eius tamen lineamenta elegantissimè & præclarissimè ducta iam sunt, quę in altera vita coloribus ornabus perficientur. Adde quòd in Iheſu Christo insiti, illius perfectione absolutissima, quantum nobis satis sit & conueniat pro Dei imperscrutabili iudicio donati sumus. Siue pacificam interpretari placet, quid est quod nos conturbet quos Christus sibi in matrimonium deuinxit? Quæ vis sponsam violabit Dei? Quis metus eam Christi sinu receptam, & in ipsius vlnis requiescentem exterrebit? Quemadmodum in aliquibus regionibus mos patrius est, fœminas mutatis cognomentis in maritorum familiam transire, illorúmque sibi nomina asciscere, ita nos omnes a vero schelomone marito nostro, schulamitides & nominamur & sumus. Qua re quid infinitam illius & inexplicabilem misericordiam commendat, quid nostram incomparabilem dignitatem illustrat, quid conscientiæ nostræ pacem optatam & securitatem altissimam tranquillissimámq; confirmat magis?

Quid spectatis] Apostrophe ad amicos quos interrogando excitat, vt amplitudinis glorię quæ est in ecclesia spectatores sint ac testes. Trem Attentio conciliatur ad secundam capitis partem. *Velut chorum castrorum*] Subiectio sponsi ad quæstionem suam. Persistit in superiori allegoria vexillorum inexpugnatorum. Nam ecclesiæ legiones suis quæque vexillis turmisque digestę, id est varii

diuer-

diuersorum membrorum ad communis corpo-
tis exædificationem defensionémque munera,
suis dispertita locis & ordinibus, non modò hu
manis vllis copiis non cedunt, sed aëreis e-
tiam spiritibus, horúmque tyranno summo-
pere sunt formidanda. Et tamen hæc nostra pu-
gna ludus est, militia triumphus est, bellum o-
uatio, vt non belligerantium sed saltantium
choreásque ducentium speciem, intuentibus
præbeamus. Nam Chori isti & tripudia, Canti-
onésque, prima parte psalmi 149, & secunda
eiusdem psalmi parte, Castra ista, & pugnæ,
& bellum armis cœlestibus gestum, & spiri-
talis gladii quod est verbum dei vsus & ef-
ficacitas, planè & perspicuè describuntur, éstq;
que psalmus ille totus harum duarum vocum
velut chorum Castrorum aptissima explicatio.

II *O quam pulchr.*] Secunda ca-
pitis pars principalis quæ duos articulos com-
plectitur. Primò accita sponsa ad Christi con-
spectum suas laudes Christi ore celebratas ac
deprædicatas auscultat, vt omnem seruilem
pauorem ex animo eiiciens in eius iudubi-
tata benevolentia magis ac magis confirme-
tur. Exordium ducitur a gratulatione spon-
si ad sponsam propiùs accedentem, quemad-
modum vocata fuerat. Hæc sectiuncula per-
tingit ad versum 17. absolutum. *O quam pulch*] Quemadmodum supra 4, omnia spon-
sæ membra a Capite deorsum ad vbera viq; per-
currens, accuratissimè eorũ omniũ dotes & ele-

gan-

gantias decantauit, Ita hîc vt eandem pulchritudinem in omnib' corporis partibus constare analogicè colligamus, a pedibus imis exorsus ad verticem summú orationis telam pertexit. Prima itaque Chorea istorum tripudiantium pedes sunt, hoc est in ecclesiæ corpore infimi quique, qui dum otio & languore non torpent, sed pro se quisque necessariam reipub, vtilémque ecclesiæ operam strenuè nauant, non modò totius corporis molem honestis suis sustinent laboribus, sed præcipuæ etiam reliquis membris commendationi sunt & laudi. Formarum enim est dos non postrema, pes elegans calceo apto reuinctus. Suo igitur pede se quod dicitur metiantur, vt hos clamores principium principi exprimant.

Filia ingenui] Id est nobilissima & generosissima. Trem. Omnes namque qui spiritu Christi donamur, ad diuinam in qua creati sumus imaginem renouati, quantumuis abiectæ sortis simus, natalibus restituti, solida & vera ingenuitate nobilitamur. Eant igitur isti qui nihil nisi stemmata sua buccis inflatis crepant, & inanissimis fumis fucatæ generositatis vt faciunt insaniant. Christianarum mentium dignitas & spendor in hoc est positus, si agnoscant se a Iheſu Christo in coniugium delectas, vt in hac vita maximis spiritus sancti ornamentis tanquam mundo muliebri compte, cœlestes opes spe stabili expectent, cùm a marito domum deducte omnium illius diuitiarum & magnifice n-

ficentissimæ gloriæ participes ac sociæ futuræ sunt. *Ambrosius tæ.*] Periphrasis cinguli quod sponsæ gestare solent quàm maximè preciosum. Trem. Fœcunditatem ecclesiæ laudat, in pariendis liberis Christo, quos ille ministrorum suorum opera, ex semine verbi vitali ex ea progignit, simúlque castissima & honestissima figura eas partes résque velauit, quæ hominibus prophanis impias & impuras cogitationes suggerant. Quinquam ego sanè nescio cur potiùs hisce rebus cogitandis, voluptatis recordatione ad libidinem inflammemur, quàm sapientissimi ac prouidentissimi conditoris admiratione afficiamur. Quæ ne mortalitatis conditio genus omne viuentium in vniuersum simul deleret, inexplicabili solertia per mutuos ac fœminæ congressum, perpetuandę successionis rationem commentus, est. Deinde ne fortè vel enitendi pariendique dolores graues, vel diutinę educandi molestiæ & anxiæ sollicitudines, a sobolis propagatione absterrerent, vt blandimentis quibusdam dulcissimis ac iucundissimis pelliceret, in ipsis intimis viscеribus cupiditatis igniculos infeuit quosdam, qui ex mutuo similis animantis aspectu incensi, ex eiusdem complexu in voluptatis flammas exardescerēt. Denique cum res ipsa ex deprauatione naturæ nostræ fœda ac pecuina esset, sancto suo præcepto iugale fœdus sanxit atque sanctificauit, vt quoniam difficilimum esset æstuantes intus ignes restinguere, homines concessa connubij li

bertate,optima conſcientia vterentur,niſi ſiqui liberioris vitæ amore capti, cum caſtitatis donum a domino accepiſſent, voluptatis ſibi omni vſu interdixiſſent. Hæc mundis ac puris ſufficient,impuris autem impura ſunt omnia. Non dubium eſt autem,quin eccleſiaſtas ſchelomo multis & pretioſis donis ad liberos chriſto ex eccleſia,maxima fœcunditate procreandos,inſtructos inſinuet,figura cinguli elegantiſſimè effecti & monilibus varijs concinnati ab inſigni quopiam artifice. Nam qui ad ſcholas in quibus pueri ad pietatem quaſi fingantur & formentur referunt, eòdem recidunt.

13 *Vmbilicus tuus*] Hijs duobus pulchertimis allegoriis,quarum poſterior exegeſis eſt prioris, paſtores qui rudes & informes fœtus parturiunt,donec in eis formetur Chriſtus ſignificãtur. Qui tanquam vmbilici, id eſt ventres ſynecdochicè chriſtianorum cętuum, ſimiles ſpumantibus crateribus, rotundiſſimis & capaciſſimis perhibentur, ex quibus ſiticuloſæ fidelum mentes, non modò recreentur, ſed etiam pleno hauſtu quantum velint ingurgitent: aut aceruis tritici magnis, cibo ſufficienti, ſalubri, puro, ſuaui nunquam defectis, vt qui eſuriat non ſolùm ſatis ad famem reſtinguendam, ſed abundantiam etiam ad ſuæ ſaturitatem mentis explendam reperire poſſit. *Ne deficiat*] Pathetica amantis exclamatio accõmodata ſimilititudini crateris, quaſi dicat, vtinam nunquam

quam macreſcas vel exhauriaris. Trem. *Aceruus ſepitus liliis*] Id eſt fructuoſiſſimus pariter & odoratiſſimus. Treme. Atque ô vtinam princeps noſtra ſereniſſima, eiúſque honoratiſſimus ſenatus, O vtinam epiſcopi & paſtores noſtri iſtum ſchelomonis locum, imo Iheſu ipſius Chriſti affectus erga ſponſam ipſius, & ſenſus curámque iſtam expenderent. Quàm multę in anglia parœciæ, quàm multæ in VVallia, hoc cibo potúque deſtitutæ, fame pereunt? Confluit plebs die dominico in phanum. Curatus aut Perſona vt in comœdijs muta recitat preces, pias illas quidem, ſed audientium vitio parum certè vtiles. Nam & ille recitat vt puer ſolet in ſchola lectionem præcipitare ſuam, maiore forſitan affectu, ſed pari profectò, (de nimiùm multis loquor) mentis intelligentia, aut plerumque etiam minori, & populi magna pars VVallici, Pſalterium Beatæ Mariæ, hoc eſt centies quinquageſies Aue Maria, decimo quoque loco Pater Noſter inſerto & Credo addito in fine, (Centum enim & quinquaginta pſalmis dauidicum domini pſalterium conſtat, vnde hic numerus ſacratus Mariæ eſt) interea apud ſe latinè immurmurat, atque hoc exercitio Sabbatum domini a populo in quo pietatis ſenſus vigere adhuc videtur, tranſigitur. Quid enim faciant? de fide, de fiducia, de vera inuocatione, de myſteriis chriſtianæ religionis, de mentis ſanctificatione, de ſabbato cordis, de iuſtitia, pace, &

gaudio in ſpiritu ſancto, de ſpe repoſita nobis in cœlis, de iudiciis dei horrendis in ignorantiam & nequitiam olim edendis, præclarè cum illis agitur qui quater quotannis audiunt. Exhauſtus eſt vmbilicus, venter macie extenuatus eſt, populus iehouæ, Iheſu filij dei æterni ſanguine redemptus ſacroſancto, media & fame conſtabuit. Et princeps non euigilat? & ſenatus non expergiſcitur? & epiſcopi adhuc, die iam ad occaſum vergente, & domo in ipſos ſtertentes haud dubiè ruitura, iplósque cum primis caſu & ruina ſua oppreſſura & obtritura non expergefiunt? Charitas Chriſti deum teſtamur nos coegit hæc vt plangeremus, & vnicus dom' dei zelus. 13. *Dao vbera*] Vide ſupra 4. 5. 14. *Colium tuum*] Vide ſupra 4, 4. *Eburnea.*] Albiſſimæ & nitidiſſimæ. Tre. In turri notatur generoſus & heroicus fortiſſimorum paſtorum ſpiritus, in ebore, totius vitæ, conſcientiæq; puræ, in ſola veritate propugnanda innocentia. *Oculi tui*] Vide ſupra 4. 1. Hii ſunt inter paſtores, qui pro luce grauitatis, integritatis canicici, ordinis, excellentis doctrinæ ſuæ reliquis præeunt, & toti prælucent populo. Ad quos docto & graui ſynedrio, ſtrenuo & fideli diaconorum doctorúmque ſatellitio ſtipatos, omnes eius eccleſiæ in qua præſident ordines, atque vicinarum etiam aliquando ac remotarum, conſilii capiendi cauſa confluunt, & iudicij paſtorum audiendi, ſi qua in rebus diuinis & eccleſiaſticæ diſciplinæ moderatione con

trouer-

trouersia accidat. Vt actorum apostol 15. & ad galatas 2. Ob quam causam haud immerito huiusmodi cœtus ac conuentus talium episcoporum, eorúmque sedes ac ecclesiæ piscinis lucidissimis ac plenissimis, pro abundantia sapientiæ, prudentiæ, prouidentiæ, reliquorúmque charismatum quib' dei munere affluunt, & exundant in tot' ecclesiæ vsum assimilantur, præterea artificiosissimis, vt cuncta & ad diuinam gloriam decorè & splendidè, & ad ecclesiæ vtilitatem honestè concinnéq; gerere admoneantur. Allusio ad humanos oculos qui tanquã gemmæ inserti sunt foraminib' suis artificiosissimè. Tales enim eos decet esse episcopos, quorum cœtus & congregationes amplissimas ac ornatissimas, omnes gradus, maxima frequentia celebrent. Schelomo ad synedrion ierosolymitanum respexit & sacrũ senatũ. Si quis etiam ad magistrat' ciuiles trahat, aut inter ecclesiasticũ magistatum & politicum partiat, non pugnabo. *Piscinis*] Id est lucidissimi & clarissimi, vt sunt piscinæ ierosolymitanæ quæ omnes secundum portam gregis factæ sunt. Dicitur autem porta gregis frequentissima, quia illa vna aditum patefaciebat ad tria simul ieruschalaimorum oppida, & ad templum ipsum domúmque dauidis, & in ea habebatur forum maximũ, vt obseruatur nehemię 3.1 Hæc illi.

Nasus tuus] Prophetici muneris euidens descriptio. Nam & nasus dicuntur, quòd eorum

officium est subodorari, numqua pestis noxia, aut contagiosa lues corpori nocitura appropinquare sentiatur, & puro ac suaui spiritus hausto sana pectora alere, & turres appellantur, quòd e speculis viso hoste tubis clangant, ne populares de improuiso opprimantur. Iechezkel 33.2. ac deinceps. *Turri lib.*] Ædificatę in domo saltus libani de qua 1. Regum 7,2. Treme. 15

Quod in capite] Mitra tua eiúsque redimicula. *Treme*] Possumus istum locum dupliciter ex fidei analogia & scripturarum sensu interpretari. Nam pileus iste, vel cidaris illam sacerdotalem apud Zachariam 3,5, aptissimè subindicare potest, id est spiritalem illam gratiam qua ministri suo quisque loco & ordine redimiti cernuntur, non solùm ad mentes suas sanctificandas & coornandas, sed ad munus iuum in ecclesia cum fructu & dignitate maxima obeundum, vel Dei nostri optimi maximi charitatem æternam, quæ quasi purpura ardens & scintillans, in Ihesu Christi cruore sacrosancto vniuersam ecclesiam inumbrat. Denique Christi sanguis ad ecclesiam commundandam & intingendam effusus, flagrans illius in patrem & in homines amor, & præclara illa sacro cruore parta victoria, qua conuestimur ac imputatione quasi cidari obtegimur, coccineam ecclesiæ mitellam ac purpuream eius redimiculam appositè sanè referunt. Itaque hic noster sensus a veterum sententia non discordat, qui ita lege-

legebant hunc locum, *Caput tuum vt carmelus* Pro carmelo monte prælato ac feraci Christum & suam amplissimam abundantissimamque gratiam qua ecclesiam fœcundat & locupletat interpretati. *Rex alligaretur*] Quasi dicat. Nullus est rex tanta gloria præditus, qui aspectu tuæ istius gloriæ expleri posset, sed confixus ac stupens ad aspectum eius, perpetuo videndi tui desiderio, tanquam vinctus teneretur, tanti gloriam tuam præ sua & totius mundi gloria faceret. *Hæc trem.*] Ambulacra sunt paradromides, in quibus reges cum reginis suis inambulantes, alter alterius pulchritudine & ornamentis spectandis se oblectant. Si ad christũ referre placet, quod necessario sequentia monstrant, ambulacra, singulæ fidelium congregationes sunt vbi Christus & ecclesia expatiantes, mutuo aspectu fruuntur. 16. *Quam pulcbra.*] Exclamatio Christi pathetica ad ornatum & comptum superiorem obstupentis. *Amor*] Metonymia pro amata. *Deliciis*] Ornamenta maxima & exquisitissima. 17 *Illa Statura*] Corpore es valentissimo atque rectissimo. Trem. Summatim recolligit totius corporis laudes. In statura quæ ex omnium membrorum proportione assurgit, altissimam & eminentissimam dignitatis & proceritatis formam colligimus, quæ mortalem omnem speciem & gloriam excellentia superet sua. *Vbera*] Quasi dicat mam-

mammas geris venuſtiſſimas atque firmiſſimas, vt ſunt botri denſis acinis. Trem. Illa laus ſuperior ad totum corpus, hæc ad miniſtros & doctores propriè reſpicit. In botris venuſtiſſima tranſlatio eſt, qui ſi magni ſunt, mammarum ſpeciem gerunt, quales ſunt ex quorum ſimilitudine, & apum conglomerata examina botri dicuntur. Videant paſtores vt iſtis laudibus tam ſæpè repetitis, pares aut non indigni eſſe ſtudeant, quorum contemplatione & commendatione Chriſtus exatiari non poſſit. Videant vt ſucco ſemper turgeant, eóque generoſo & dulci, ne ſi ſicca vbera & exhauſta geſtent, nec ſitientes mentes reficere, nec mœſtas exhilarare queant. 18 *Dico conſcendam*] Secundum membrum huius poſterioris capitis partis, quo primùm demonſtrat velle ſe eccleſiæ copia & expetito amplexu frui, deinde huius complexus fructum & fœcunditatem triplicem notat. *Palmam conſcendam*] Perſiſtit in eadem præcedente palmæ allegoria, vt orationis dignitati & grauitati inſeruiat, caſtiſſimáque metaphora declaret quo modo ſpiritus ſui communicatione ſponſam ſuam puriſſimam fœcundet. *Palmites eius*] Omnes congregationes, cœtus particulares ac ſingulares, cuncta eccleſiæ membra, vbi vbi ſint in orbe terrarum, quæ in ea tanquam arbore inſita coaleſcunt in me, complectar & ſpiritu meo grauidabo. *Eruntque*] Primus effectus huius

huius coniunctionis ad doctores catechiſtásq; ſpectat. Efficiam, vbera grandiora, ſpumantiora, nectare cœleſti turgidiora geſtes. *Nash.*]

Secundus ad prophetas, vt naſus tuus puriori & ſuauiori aëris cœleſtis hauſtu totum pectus & viſcera cuncta refocillet, ſicut cum odorata mala nares oblectant. 19 *Palatumque tuum*] Tertius ad paſtores & epiſcopos. Vinum Hebræis ire rectè ac amabiliter dicitur, cum in poculo micat, & prę generoſitate ſua feruet ac exilit. Perficiam deniq; vt palatũ tuum & os totum vini odore, colore, ſapore optimi ſimile ſit. Nã ſiue preces publicas concipiãt, ceu laudes meas in fidelium cœtib' deprædicent, ceu verbũ meum populo meo annuncient, faciam vt vini inſtar generoſiſſimi, & ſuos ipſorum, & totius eccleſiæ ſopitos ſenſus exuſcitent, & linguas dormientium diſertas faciant.

Haud diſſimilis eſt figura hyperbolica Ieſchhaiæ 35. 6.

Caput ſeptimum.

Eccleſia tametſi ex ſuperioribus illis laudibus ſummis, & promiſſis magnificentiſſimis conſcientiæ pacem conſequuta ſit, nuptiarum tamen perficiendarū ardore maximo flagrans 4, Chriſti adventum exoptat, vt eo palam, intrepide, & abſque pauore aut pudore virginali, tanquam vxor marito quam familiariſſime vtatur 5. Suam fœlicitatem & beatiſſimum illius temporis expectatiſſimi ſtatum oſtendit, & quæ grata iucundaque officia in ſponſum tum conferet 9. Denique ſuæ perpetuæ erga Chriſtum fiducia beneuolentiæ ſieta, ſe ruſſum illius vehementiſſimæ, inuictiſſimæque charitati ſecura mente & conſcientia tranquilla commendat.

Sponſa. 1 EGO *dilecti mei ſum, quandoquidem ad me eſt appetitus eius.*

2 *Age dilecte mi, prodeamus rus, pernoctemus ad cypros.*

3 *Surgentes adeamus vineas, videamus an floreat vitis, an aperiat ſe prima vua, germinent mali punicæ: vbi datura ſum amores meos tibi:*

4 *Ama-*

4 *Amabiles istos flores, edentes odorem, & secundum ostia nostra omnes pretiosos fructus, recentes simul ac veteres: quos dilecte mi repono tibi.*

5 *O si quis daret te vt fratrem esse mihi, sugentem vbera matris meæ, inueniens te foris, osculurer te, etiam non contemnerer ego.*

6 *Deducerem te, introducerem te in domum matris meæ quæ docet me: bibendum darem tibi de vino aromatite, de succo malogranatorum.*

7 *Sinistra eius sub capite meo, & dextera illius amplexante me:*

8 *Adiurarem vos ierosolymitanæ, quid excitaretis, aut quid expergefaceretis hunc amorem, vsque dum voluerit?*

9 *Quæ est illa, quæ ascendat ex ipso deserto, associatura se dilecto suo? sub ipsa malo expergefacio te, vbi enixa est te mater*

tua,

tua, vbi enixa eſt quæ peperit te.

10 *Impone me vt ſigillum animo tuo, vt ſigillum brachio tuo, nam fortis eſt vt mors amor, durus vt ſepulchrum zelus, prunæ eius prunæ ſunt, ignisque flammæ diuinæ.*

11 *Aquæ multæ non poſſent extinguere hunc amorem, ne flumina quidem inundarent eum, ſi daret quis omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro hoc amore, planè contemneretur.*

HOC capitulum in tres partes haud incommodè dirimi poſſe putamus. Prima eccleſiæ ſtudium inflammatum exponit, vt iſtæ nuptiæ aliquando tandem celebrarentur, 4. Secunda vt Iheſus Chriſtus ſe demum in carne manifeſtum exhiberet, piorum omnium veterum voto, & deſiderio ſponſæ ſummo explicato, florentem & fœlicem eccleſię illis vltimis temporibus ſtatum deſcribit, & chriſtianorum erga ſponſum ardentia ſtudia & officia iucundiſſima deliniat, ad dimidium verſus noni. Tertiò ſponſa amore ſuo conſtanti & perpetuo, a primis vsque incunabulis erga Chriſtum commemorato, ſe totam

vicif-

viciſſim illius inuictæ inexpugnatæque charitati tradens, in eadem certò, tutò, ſecurè, ſua vitérque quieſcit 1 *Ego*] Sedatis iam illis turbulentæ conſcientiæ iactationibus ſupra 5, malaciam mentis deſideratam & optatam ſentio. Nam dilecti mei animum quem meo a me merito abalienatum ſuſpicata ſum, conſtantem & fidelem perſpicio, neque vlla mea imbecillitate aliò poſſe traduci. Quam ob rem vt ille pro æterna ſua electione ac charitate immenſa, me repudiare non poteſt, ita ego illi in poſterum per omnem vitam obſequentiſſima ſum illius ope & robore futura. Itaque hic verſus antecedentis capitis concluſio eſt & illarum laudum promiſſionúmque effectus 2 *Age dilect*] Iſta in agros villásque profectio, inde occaſionem ſumpſit, quòd Chriſtus ſupra 6, 8, excuſauerat ſuam ſubitam ab eccleſia diſceſſionem, prodeundi rus prætextu, & gentium exterarum ſtatum inuiſendi, ſi fortè illæ reſipiſcentiæ fructus oſtenderent, vt ille veniret in mundum tandem, eásq; in eccleſiæ ſocietatem nuptijs confectis aſciſceret. Nam ille dies nuptijs dictus erat. Hoc itaq; dicit ſponſa. Cùm ego illius temporis optatiſſimi deſiderio, illius diei lętiſſimi & beatiſſimi cupiditate, æquè ac tu mi ſponſe videndi eſſerar, ne quæſo eam deſerendi nos occaſionem amplius obtendas, quin imo communem operam in ea cura conferamus. Agè, me amplius imparatam non offendes, proficiſcamur rus, tum vt tempus illud optatum obſer-

ſeruemus,tum vt gaudijs noſtris liberiùs & quietiùs ibi indulgeamus. Hinc perſpicuè colligitur illis etiam temporibus, cum eccleſiæ gentium omnis ſalutis ſpes præciſa potuiſſet videri florentibus Iudæis, Chriſtum non vsqueadeo nationum curam abieciſſe, vt non etiam inter eas electos ſuos aliquos foueret ac conſeruaret. Nam tametſi iſtæc profectio, inuiſendi ruris, id eſt conſiderandi ſtatus & conditionis gentium cauſa, adornata videatur, quin tamen cypros odoratas, florentes vites, germinantes malos punicas, etiam in iſtis incultis regionibus Chriſtus haberet, liquidius eſt quàm vt negari poſſit. Alioqui non modò eccleſia illic cum chriſto pernoctare, aut illi ſuos illic amores dare, ſed nec omnino eſſe vllo modo, aut diuerſari potuiſſet. Pernoctare ad cypros itaque eſt, noctes totas foris aut in papilionibus verſari, & opificem pleiadum, orionis, reliquorúmque ſyderum ſuſpicere & colere & amplecti. Qui mutat in matutinum denſiſſimam vmbram, & diem nocte obtenebrat. Hhamoſi 5,8. 3 *Surgentes.*] Surgamus ſummo mane vt tremulas micantium & iam die accelerante fugientium ſtellarum faces intueamur, vt luteis quadrigis inuectam auroram ſalutemus læti, vt auricomum ſolem, vaſtam illam & admirabilem flammam, cuius & luce complentur, & calore fouentur cuncta contemplemur hilares. Deſcribit officia electorum ex nationibus, qui ſpiritu ſancto illuſtrati, ex creaturarum contemplatione, &

viſendo

viſendo mundi opificio, conditorem agnoſcentes illi gloriam tribuerunt,& ad eius obſequium iuſtam piam, & ſobriam vitam agentes ſe totos conformarunt. Quam ob rem & ipſi Cypris,vitibus, vuis,malis punicis,propter ſpirit' eos vegetantis ſuauiſſimam fragrantiam,propter ſanctificationis flores picturatos,ac pietatis eximios fructus comparantur. Denique hæc ruſticana eccleſia cum vites germinare, vuas gemmare,effloreſcere malos punicas, denique arbores innumeras diuerſiſſimis ingenijs fructibúsque, oneris magnitudine in humanos vſus ingraueſcere cernat, non poteſt ſe continere, quin iniectis niueo chriſti collo lacertis immurmuret,hîc tibi dabo amores meos. Nã qui hos complexus ad tempus adunatarum gentium reijciunt,non ita mihi ſenſum ſchelomonis aſſequuti videntur.Sponſa etenim ruris amœnitatẽ & delicias chriſto ſuggerit,vt eo profecti genio liberiùs & ſolidiùs operã dent,quod in amoribus humanis fieri ſolet. Deinde ita ſuum maximum deſiderium cooptandarum gentium chriſti aduentu inſinuat,ita flagrantiſſimum ſtudium ſuum,vt illæ tandem reſipiſcentes dæmonibus ſpretis ſe deo & illius verbo ſubijcerent ſignificat, vt interim tamen, & eccleſiam apud eos nonnullam exiſtere, & eiuſdem eccleſiæ officia & ſtudia clariſſimè effigiet. 4 *Amabiles iſtos*] Subaudi datura tibi ſum ruri. Superioribus duobus verſibus,nempe 2,& 3,vti diximus, electorum corpus per terras vniuerſas ea tem-

tempestate dispersorum, vitiario aut pomario rustico comparatum est, qui si futuræ vniuersalis ecclesiæ seminarium. Illorum studia descripta vidimus, vt ex cœli picturata & egregiè cœlata facie, ex terræ omniparæ decore, amœnitate, opibus in hominum vsus creatis, creatoris potentiam, sapientiam, bonitatem, iustitiam ratiocinantes, illius amore inflammarentur. Hic autem versus declarat, quos fructus & quantam voluptatem Christus ex illorum officiis metsuerit. Hij verò fructus duplici similitudine adumbrantur, amabilium, suauium, pulcherrimorum florum, deinde conuiuij ex fructibus pretiosissimis, dulcissimis, recentibus, veteribus, hortis, primis in agro rustico apparati. Eadem figura supra 4. 17, nisi quòd illic apparatus conuiuij lautior, & aromatum præstantissimorum exquisita fragrantia, pro vrbis splendore & munificentia, hîc autem flosculi, amabiles quidem & pulchri, sed vulgares & mentastra rusticana. Ex quo etiam cernere est, quanta in opulentia viuant, in ecclesia dei educati præ illis, qui ieiuna ac nuda mundi speculatione pascuntur. Vide supra 4. in 17. in 11 in 9, quomodo hæc voluptas & delectatio in deum cadat. *Secundum ostia*] Alludit ad hortos qui in prædiis rusticis secundum ostia seruntur, secus autem in vrbanis, vt supra 5. 17. in annotationibus. Simúlque declarat minimo negotio fructus hos ex creaturarum contemplatione nos Christo parare posse si velimus, quòd se oculis nostris pas-

passim sensibúsque omnibus ingerant, si spectatores attentos & curiosos nanciscantur.

Repono tibi] Respexit ad parsimoniam agrestem & diligentiam matrisfamilias rusticæ. Notat etiam hos flores ac fructus, vtcumque Dei iudicio innotescant, hominum tamen oculos sensúsque plerumque fallere. Facile erit cuiuis intelligere, ex collatione istius tenuis apparatus, cum opiparis illis christianæ ecclesiæ mensis infra eodem capite versu sexto descriptis, ista omnia ad illius temporis œconomiam, non ad plenitudinem gentium referri oportere.

5 *O si quis*] Secunda capitis pars, exponens summum ecclesiæ Iudaicæ veteris desiderium videndi Christum in carne hoc versu, vt gentes omnes imperio suo regeret & ecclesiæ suæ fines & gloriam amplificaret 5. Deinde officia congregationum ex gentibus collectarum erga Christum, & fructus horum officiorum a Christo perceptos vsq; ad dimidiatam partem versus noni. *Vt fratrem*] Manifesta humanæ in Christo naturæ demonstratio, ad conscientiæ nostræ solatium eximium, & fiduciam in fratre, id est carne & sanguine nostro validissimè corroborandam. Supra 4. 9. & ad Hebræ 2.

Sugentem vbera] Maxima ecclesiæ sanctæ ac catholicæ dignitas est, quæ Christi, electorúmque eius omnium mater honoris causa nominatur, ex cuius vberibus ille vitalem verbi succum, & lacteos spiritus sancti liquores exu-

gere credi vult, tamesi ille sit vnus qui vniuersam ecclesiam cœlesti hoc humore tanquam fons perennis irrigat. Quidni eius vbera mulgeat, cuius & filius & membrum putatur? Nisi enim ecclesiæ membrum esset ac filius, frater nostet non diceretur. Ecclesia autem singulorum hîc membrorũ suorum nomine loquitur vt sup. 3,5. Itaq; sacros cœtus nobis commendare vult Schelomo, & verbi diuini prædicationem, a quorum communione nefas sit abscedere, nisi illi priùs a christo manifestè, perfidè, cotumaciter defecerint. *Inuenient te foris*] Hoc est, tua illa inaccessa in qua habitas luce, maiestate que verenda & formidabili absterreor, præterea etiam, imbecillitate mea & pudore virginali, vtpote sponsa tua adhuc, nondum pleno iure vxor prohibeor, quo minus te liberè & satis pio voto familiariter frui possim. Velatus deniq; es quibusdam ceremoniarum typis, & legis ac hostiarum inuolucris vmbrisq; laritas. Videam te foris & sub dio, videam te ea specie & habitu qui me non terreat humano, sed animum addat potiùs ad te liberè & audacter fruendum. Videã te in luce & sole, dissipato hoc tenebricoso & vmbratili cultu, vt reuelata facie gratiosum tuũ vultum cõspicata exoscules. *Etiam non tem*] Pollicitus es multis retrò sæculis te mihi seruatorem fore. Interea autem quoniam tu promissam salutem longiùs procrastinas, impiorum iniurijs, contumelijs, ludificationibus exagitor, quasi tuis premissis freta, nubes & auras cap-

captare videar. Affulge tandem seruator,& fidem præsta vt sponsam tuam ab impiorum lubrijs liberes. 6. *Deducerem te*] Vt sup. 3,4. In hoc versu & sequẽtibus,rursus clarissima argumenta lucent Christi diuinitatis. Sensus est. Ille dies nuptialis esset, tum te palam & publicè deducerem in domum matris meæ & conclaue genitricis meæ, id est in sacros cœtus & conuentus ecclesiasticos,vbi tecum hilarissimè & lautissimè conuiuarer, & amplexibus tuis expetitis exatiarer. Eadem officia christianę ecclesiæ erga sponsum,ijdémque fructus ex eà ab illo percepti, qui fuerunt in veteri synagoga, nisi quod ex vino aromatite, & succo malogranatorum,omnia hîc pro insolita luce cognitionis, & antiquis incognita spiritus dulcedine,exquisitiora & delicatiora cernimus. Vide supra 2,4, & deinceps, & 4, 17. 7 *Sinistra eius*] Ibidem. 8 *Adiuvarem*] Sollicitudo ecclesiæ christianæ maxima,nequid tumultus excitetur, quo Christo in vlnis suis requiescenti somnus excutiatur. Nam quò voluptas nostra est maior, quò somnus & pax conscientiæ arctior, eo vigilandum est magis, ne interturbetur. Reliqua vide supra 3,5,& 2,7.

9 *Quæ est illa*] Efficiam denique illis temporibus,omnes mortales ad meos labores, curas, sollicitudines obstupescant, quas indefesso studio subibo, vt te in cœlesti thalamo amplecti tandem perfruique liceat.

vide ſup. 3. in 6. & initiũ 7. & in 11 verſũ, vbi regulam habemus, ad quã conſcientias noſtras exigamus chriſtiani, ne vetuſta eccleſia ſocordiam & torporẽ noſtrum coarguat. Hæc verba Tremelius & Iunius cum ſequentibus connectunt, ac ita explicant. Quænam vnquam fuit talis ſponſa, quæ tantos labores perferret, tantáque pericula ſuſciperet ad conſequendum dilectum ſuum? hæc igitur ſunt illa pignora meæ in te voluntatis, quòd fide ſuperaui omnes difficultates, vt peruenirem in domicilium tuum cœleſte, veterem hominem deponens & memetipſam abnegans & mundum iſtum totum, qui deſertum in ſcriptura & ſolitudo dicitur. Hæc illi. Ego ad officia nouę eccleſiæ refero, eo ſenſu quo ad veteris ſuperiùs relata ſunt. *Sub arbore*] Tertia pars Capitis, in qua cantico iam fere finito, viciſſitudine officiorum inter ſponſum & ſponſam, & remuneratione beneuolentiæ mutuæ ſatis teſtata, ſponſa chriſto interea temporis, dum in terris aduenier has nuptias conſecturus valedictura, ſe totum in illius poteſtatem fidémq; tradit, tum ſuam perpetuam erga illum obſeruantiam, tum ipſius erga ſe amoris immenſi inuictiſſimiq; vim ſuggerens.

Argumentatur itaque a commemoratione ſuæ erga chriſtum beneuolentiæ, iam inde a mundi primordijs repetitæ, & per omnes ſæculorum omnium ætates deductæ hoc verſu, cui petitionem obteſtationémue ſubnectit, ne ſe vnquam deſerat Chriſtus aut obliuiſcatur, ini-

tio

tio ſequentis, quam obteſtationem grauiſſima amplificatione & ad affectus commouendos vehementiſſima exaggerat. Hoc dicit. Interim dum nuptiarum dies optatus diluceſcat, memento ſponſæ tuæ tui amantiſſimæ, quæ ab ipſis tuis incunabulis te dilexit & ſibi in matrimoniũ expetiuit. Ex quo etenim tempore illud ſacrum oraculum auribus hauſi, quo pater tuus cœleſtis noſtræ perpetuæ miſeriæ ac calamitatis infandæ miſertus, in quam ſatanæ aſtu & malitia demerſa fueram, te ſalutis noſtræ reparatorem fore ſpopondit, cum diceret, futurum aliquando vt mulieris ſemen venenati ſerpentis caput obtereret, quo intellectum eſt etiam tum, Deum in te o Iheſu Chriſte humani generis futurum eſſe redemptorem, ibi enim te mater tua eccleſia peperit maximum inter omnes fratres natu, ibi enixa eſt te genitrix tua, hæ tuæ cunæ ſunt, hæc ortus tui primordia, eodem die quo iſtęc audiui, eodem loco, & ſub eadem arbore malo, vbi nudata omnibus animi & corporis ornamentis miſerandum in modum iacui, te fide apprehendens expergefeci, & animum tuum in amorem ſollicitaui. Exinde ſummo amore ſum proſequuta, & qua potui obſeruantia, quibus licuit officijs, tenuibus licet & exilibus, hactenus colui, ſempérque quoad hic mundus extabit amatura ſum.

19 *Impone me*] Peto a te viciſſim, & per iſtum meum in te amorem obteſtor, non

modò ne nos a te segreges, sed ne vnquam ex animo tibi excidat memoria nostri.

Hem digitis gemmas, hem longa monilia collo,

Accipe hæc pignora voluntatis in te meæ, quæ te nostri perpetuò admoneant. Amantium affectus valere iubentium. *Nam fortis*] Amplificatio ab amoris natura. Memento mi sponse, quantas, quàm inuictas vires amor habeat. Est quiddam inexorabile quod nullis precibus flecti, vt mors, est quiddam illachrimabile quod nullo fletu permoueri, vt sepulchrum queat. Est quiddam validissimum quod omnia prosternat vt mors, est quiddam durissimum quod omnia atterat & exedat, vt sepulchrum. *Prunæ eius*] Est quiddam ardentissimum, viuacissimúmque vt prunæ, est quiddam furibundum & indomitum, vt flamma voracissima. *Ignis flammæ diuinæ*] Hebraismus, qui maxima quæque diuina vocant.

11 *Aquæ multæ.*] Superioris comparationis aggeratio. Flamma inquam est amor, quam nulla vis aquarum extinguere, ne flumina quidem vlla exundantia obruere possint.

Si dederit] Memento denique o sponse amorem inæstimabile quiddam esse, quod nullo precio comparari, nullo auro expugnari possit. Huiusmodi igitur amor cùm inter homines aliquando reperiatur, vt mortem intre

pidè

Caput octauum.

De perfectione ecclesiæ futura, adscriptis in vnam & eandem societatem gentibus. 3. Christi summus amor & cura peruigil in excolenda & custodienda ecclesia 5. Illius vale & mandatum vnicum de prædicatione euangelii 6. quod ecclesia illius ope & præsentia confirmata sefacturam recipit.

1 *Oror nobis est parua, cui nondum sunt vbera: quid faciemus sorori nostræ, die quo sermo fiet de ea?* Sponsa.

2 *Cum murus fuerit ædificandus, ædificabimus in eo palatium argenteum: cum autem ianua erit munienda, circummuniemus eam tabulato cedrino.* Sponsus.

3 *Me existente velut muro, & vberibus meis velut turribus, tunc fuero in oculis eius propè consequuta pacem.* Sponsa.

4 *Vinea est Schelomoni in loco fertili, locat vineam suam custodibus, quisque affert pro fructu eius millenos siclos argenti.* Sponsus.

5 *Vineæ quæ mea eſt, apud me permanent milleni illi tui, Scbelomo, etiam ducenteni ſicli cuſtodientium fructus eius.*

6 *O quæ habitas in iſtis hortis, Sociis attendentibus ad vocem tuam, prædica me.*

Sponſa. 7 *Accurre dilecte mi, & ſimilis eſto capreæ aut hinnulo cervorum, qui verſaris in montibus aromaticis.*

IN hoc capite explicando, laborem noſtrum magna ex parte leuarũt Tremeli⁹ & Iuni⁹, quorum verba etiam, non ſolùm ſententias mutuari ſtatuimus. Quid enim aliud quærimus, quàm vt eccleſia hunc librum eximio fructu & diuina conſolatione refertiſſimum, ad ſuam ædificationem legere poſſit, maiori quàm antea cum facilitate? Quid autem intereſt, illorum id an noſtra fiat opera? Sunt igitur tres loci in quibus totum verſatur. Primus magnificentiam eccleſiæ chriſtianæ multò auguſtiorem quàm fuit illa vetus deſcribit, ſub imagine

pidè contemnat, ſepulchrum ipſum vincat, ignes non exhorreat, imo tanquam flamma validiſſima cuncta populetur ac voret, nullis calamitatum inundationibus reſtingui, nullis perſequutionum fluminibus obrui, nulla precè moueri, nullis promiſſis expugnari poſſit: Tu certè cuius amor, vt reliqua quæ in te ſunt omnia infinitus ac immenſus eſt, quem nec mors occidere, nec infernus putrefacere, nec flamma vlla exurere, nec calamitates demergere, nec opes delinire, nec munera corrumpere poſſunt, nunquam adducêris, vt fidem tuam nobis datam, hijs tabulis æternis manúque tua conſignatam, tot promiſſionibus confirmatam tot pignoribus beneficiorum maximorum teſtificatam, tot arrhis tui ſpiritus apud conſcientias noſtras corroboratam fallas. Mei agnoſco officij eſt, te vt rogem & promiſſa appellem, tui certè vt fidem præſtes. Præſtabis profectò. Nam mihi perſuaſum eſt, atque etiam certa ſum, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque poteſtates, neque inſtantia, neque futura, neque ſublimitatem, neque profunditatem, neque rem vllam creatam ſeparaturam nos a te, pro æterna illa charitate gratuita, qua nos ante iacta mundi fundamenta complexus es. Ad Roma. 8. 39. Hæc oratio ſponſæ, vt plerophoriam noſtram validè corroborat, vſque adeo vt trepidare amplius non poſſimus, ita eandem doctrinam contra Papi-

ſtas probat manifeſtiſſimè. Illud denique monendum eſt, ſponſam, atque adeò nos omnes ad calculos conſcientiæ noſtræ hic reuocari, num quam in amore conſtantiam a Chriſto ſtipulati ſimus, eandem illi reſtipulanti expromittere poſſumus? Num illud verè & ex animo, conſcientia nobis atteſtante, vſurpare poſſumus, Tu ſcis domine quia amo te? Num illud, domine paratus ſum tua ope & auxilio tecum & in carcerem & in mortem ire? alióqui cuius meretricię impudentiæ erit iſtas apud Chriſtum voces fallaciter iactare, *Pone me ſigillum* &c. vbi nec par in amore voluntas, nec in beneuolentiæ remuneratione viciſſitudo mutua reſpondeat? Ac videmus quidem ex hiſtoria ſacra quemadmodum ille noſtra cauſa iſta omnia, mundum, Carnem, mortem, ſepulchrum, ſatanam domuit & debellauit: ſic etiam nobis illius amore eadem deuincenda ſunt omnia, ſi cum illo regnare, & ad cœleſtes iſtas nuptias aſpirare velimus. Da domine quod iubes & iube quod vis. Effice Chriſte quod naturæ impoſſibile eſt, per tuam gratiam vt poſſibile reddatur & facile. Amen.

gine vrbis renouatæ & ad summam amplitudinem restauratæ, 3. Secundus ex comparatione Schelomonis maxima cura & studio regnum suum & rempub. administrantis ostendit, quanta vigilantia & diligentia Christus vineam suam quæ est ecclesia purget, colat custodiat 5. Tertius mandatum Christi continet vt ecclesia continenter euangelium vniuersis annunciet gentibus 6. Quod illa in se recipit, si christus ipsius spiritu se crebertimè inuisat, & secum perpetuò versetur. I *Soror*] Illa tua & mea ô sponse ex electione & prædestinatione dei soror, me sollicitam habet, ne nostra vota remoretur & nuptias desideratas impediat. Nam & iam immatura est, nondum cuoluta præfinitorum temporum serie, nec verbum tuum nec verbi tui interpretes habet, sine quibus quasi vberibus, nec tibi nubere, nec ex tuo spiritu cõcipere, nec liberos tibi alere ac educare potest. Quid igitur faciemus cùm ego administrando, tum tu etiam dando efficaciter incrementum & benedictione augendo, cum mysterium illud sacri connubij ab æternis temporibus tacitum ex imperio tuo omnibus nationibus declarabitur vt fide adiungantur tibi? Romano. 16. 25.

2 *Cum murus*] Subiectio ad præcedentem quæstionem, qua inter se statuunt Christ' & ecclesia quid sunt facturi in illa temporum plenitudine. Sensus est. Quo tempore cooptabitur

bitur ecclesia gentium, quæ angustis ierusalem mortũ finib' præ multitudine capi non poterit, iesch, 49. 2. & Zecariæ 2, 8, tum inducẽda noua forma ciuitatis erit, & diruto muro mediano nouus murus & nouæ portæ ad ampliãdã ciuitatẽ curandæ. Significatur enim ciuitas appellatione muri & portæ synecdochicè, vt alibi passim.

Palatium argen.] Id est regiam preciosissimam & sumptuosissimam, vt sit domus regis magni, prout vocatur psal. 48. 3. Mirum ni expectent hic iudæi regiam aliquam aspectabilem ex argento factam, vt ciuitatem etiam visibilem ex Ezech. quem detorquent & peruertunt, cum ipsi etiam cœci videant tum ministerium ecclesiæ nouæ publicum, multis modis locupletatum iri, præut fuit ordinaria dei administratio in illa veteri, tum copiosiorem in omnia membra gratiam & preciosiorem exun daturam, mentésq; christianas charismatis omnibus rarissimis & præstantissimis ornandas, in quibus Christus magnificentissimè regnet.

Me existente] Cum ego adunato gentium cœtu in ciuitatem vnam cum illis coaluero, tum bonam partem desiderii mei consequuta fuero. Nam propè erit tempus quo in communionem perfectam pacis recipiar, aduentu sponsi secundo, cum nuptiæ consummabuntur. Tum videbor mihi in limine fœlicitatis versati, qui illi dies vltimi passim in scripturis appellantur. Deinde nescio quo pacto nunc in summis conscientiæ horroribus semper versor. Illa causa

cauſa eſt, quòd filii mei ſpiritum acceperunt ſer
uientis quo clament Iehouam dominum, ſe ve-
rò ſeruos & vernæ ipſius filios. Illis autem tem-
poribus fœliciſſimis ſpiritu adoptionis effuſo
clamabunt maxima fiducia Iehoua abba pater,
imo etiam intrepide & fidenter ſponſum ſuum
Iehouam compellabunt. Vnde & illud colligi-
tur, quantum Dei beneficium ſit naſci his
temporibus beatis, & in eccleſia chriſtiana e-
ducari, guſtaréq; diuinam illam mentis pacem,
quæ ſenſus omnes humanos gaudio & dulcedi-
ne exuperet. Sanè melius quiddam de nobis
quàm de illis priſcis patribus cœleſtis noſter
pater prouiderat, ad hhebrę 11. 40. Denique
videant chriſtiani, vt pro conſtanti inuictáq; fi-
de verè muri dici, elaborent paſtores, vt verè &
turres in progugnanda eccleſia, & vbera in e-
ádem alenda & nutrienda vocari poſſint.

4 *Vineæ eſt*] Secundus locus de chriſti cu-
ra & continuis excubiis pro eccleſię ſalute, qui
locus reſpondet ſuperioris capitis grauiſſimæ
illi in fine obteſtationi. Hoc vult. Tu, o ſponſa
quia ſemper oculis me non cernis, aut manibus
tenes, grauibúſque te conflictari quandoque
patior tum internis tum externis bellis & pro-
cellis, ita ſæpè trepidas, vt pene animo concidas. Hinc tuæ illæ obteſtationes, quæ tibi valdè
graues videntur & oratoriæ, re autem ipſa im-
becillitatis plenæ ſunt, ne dicam infidelitatis.
Quin te ſemel totam tu mihi tradis, & meæ
mandas ſecura fidei? oſtendam iam tibi quantæ

mihi

mihi curæ sis, sempérq; sis futura, vt te in vniuer
sum istis panicis terroribus liberẽ. Vides Sche-
lomo quanta vigilantia incumbat in republica
& religione procurãda. Ille tamẽ, vt pote homo
multis infirmitatib⁹ circumdat⁹, omnẽ fere istã
prouinciã aliis demãdare cogitur, & suam quasi
vincã laborioſis vinitorib⁹ elocare. Quò fit vt
quãuis multò maximus, ad eum benè gestæ rei-
pub fructus & glória redeat, neceſſe tamen ha-
beat quibúſcum labores partitur, quadã etiam
ex parte laudem & emolumenta communica-
re. Ego verò vtcumq; hominú opera in vitibus
meis plantãdis & rigandis, angelorum miniſte-
rio in vinea mea cuſtodienda & defendẽda vtor
quia tamen ipſe incrementũ ſolus do, ipſe ſolus
eccleſiam meam iuſtifico, ſanctifico, glorifico,
prouidentia mea ſingulari in omnes partes ex-
eubante tueor, potentia vnica defendo, in me
vnum te coniectos oculos habere, in omnipoté
tiam meã te plena fiducia recũbere, in bonitatẽ
meã ſecuro animo reſpicere & tranquilla mẽte
conquieſcere iubeo. Adeo tui ſum zelotypus, vt
nẽc te quicquam pauere, nec aliunde pendere,
nec vllam minimã gloriæ meæ partem aliò, aut
ad angelos, aut ad homines transferri patiar.

Milltenos ſiclos] Permagnum quidem fructũ reddunt ſchelomoni, (numerus certus pro incer to) ſed aliquam ſibi reſeruant partẽ, vtpote ducẽtenos ſiclos, quod poſterius membrũ ſupplẽdum eſt ex verſu ſequenti, quia oratio hæc [illegible] eſt. 5. *Vinea*] Hoc eſt meæ vi-

neæ fructus integri apud me permanent, ne tã-
tillum quidẽ aut alienna voluntate adminiſtrari,
aut a me alienari ſino. *Tui o ſchelomo*] Id
eſt, quos tu reddirus ex vinea tua percipis, ego
ex mea conficio, & multò ampliores. A poſtro-
phe ſponſi gloriationis plena ad ſchelomonem
ἀντίτυπον ſuum. *6. O quæ habit*] Locus
tertius. Horti eccleſiæ ſingulares ſunt, quos chri-
ſtus ſpiritu ſuo excolit & fœcundat, & in quib⁹
ſe oblectat. *Sociis atten.*] Hhebraicè ſocios
attendentes ad vocem tuam fac audire me. Hoc
ipſũ eſt quod Chriſt⁹ valedicendo, diſcipulis ſuis
cõmendat. Si me amas paſce oues meas. Ite prę
dicate euangeliũ omni creaturę, vt & fratres no
ſtros lucrifaciatis, & riuales zelo rumpantur &
inuidentia ſua tabeſcant. *7 Acurre*] Hhebræi
habẽt fuge, ſup. 2. 17. legim⁹ eodẽ ſenſu Reuerte
re. Certũ eſt facere quod iubes, ſi ipſe ex altiſſi-
mis & inacceſſis illis rupib⁹ deuoles, tãquã ceru⁹
velociſſimis pedib⁹, vt nobis cõtinẽter robur &
vires ſuppeditet ad tua iuſſa iſta perficienda, do-
nec ex hortis iſtis humilibus ad illos cœleſtes in
quib⁹ habitas mõtes, ambroſios odores & diui-
nã latè fragrantiam ſpirãtes, nos traducas, quod
accelerari precamur pro tua infinita miſericor-
dia, cui cum patre, & ſpiritu amborum ſancto, ſit
gloria, omnipotentia, gratiarum actio in per-
perpetua ſæcula. Amen. Vide reli-
qua ſupra, 2. 17.